COLLECTIO

POETARVM ELEGIACORVM STILO, ET SAPORE OVIDIANO

SCRIBENTIVM,

ADHVC PLERORVMQVE ANECDOTORVM.

COLLEGIT, CASTIGAVIT, PRAEFATVS EST, SVAS IN AVCTARIVM ACCESSIONES ADDIDIT

CAROLVS MICHAELER

BIBLIOTHECAE VNIVERSITATIS VINDOBONENSIS.

CVSTOS CAESAREVS, REGIVS.

VINDOBONAE,

TYPIS JOSEPHI NOBILIS DE KVRZBEK,

AVLAE TYPOGRAPHI, ET BIBLIOPOLAE.

MDCCLXXXIX.

ILLVSTRI

GENERE, INGENIO, VIRTVTE

VIRGINI

CAROLINAE

DE

GREINER.



Sectantes Elegos ſtilum Catulli,
Muſa progenitos recentiore;
Sed ſparſos, peterent manum ut le-
gentis
In promtu haud ſita ſicilere gnavam,
Sollers Vati ego maximo dicaram,
Qui noſſet ſatis ipſus in Catulli
Verſatus numeris, quid aegra diſtent
Sanis; quid veniat pretiî artefactis.

Idem nactus eos, ſapore quosquos
Agnoſcas Ovidii eſſe lautiores,
Ignotos ſed adhuc, anecdotosque,
Fautori, ſtudui, cui dicarem,
Qui poſſet ſimul Arbitri, ſimulque
Patroni bene ſuſtinere partes.
At raro eſt hodie hoc utrumque no-
men
Perſonam ſociale tantum in unam.

Tu, Sappho mihi Carolina noſtrae
Urbis, ſat fore par utrique viſa es.
Namque inter reliquos, ſolens Pöetas
A Maronis ad uſque Claudiani
Quos tu codicibus revolvis imos;
Tan-

Tanquam Teutonas uſque lectitares,
Naſonem memini ſedere cordi,
Naſonem ſcio paene ferre primas.
Naſonis ſoboli novae hinc amicam
Fautricem haud magis invenire poſſim:
In partem hic Pedo queis, ibi et Tibullus
Licet venerit, aequa nil moraris
Cognatum genus hoc profeſſione
Romanis proprii modo ſaporis.

Applaudent Veneres, Cupidinesque,
Et quot ſunt Genio elegantiore,
Pindi vertice Virginem potitam
Cum cernent; neque praeſidere doctis

Dignam partubus hanc, laboribusque
Ibunt inficias, ſecus virile
Qui cum pectore, dotibusque mentis
Diverſum in genus ire gratulantur.
Nonne ergo venerantium vel ante
Hunc ſexum favor obviet libello
Muſae nomine ſe novae levanti?

Hic tantum ſedet intus angor anceps,
Atque haec ſollicitudo paene edit cor,
Num Muſae ſatis expolita noſtrae
Fas hic carmina quaeque ſit videri:
Hujus verſiculos enim canoros,

At-

Atque Idyllia dena lectitantis
Cenſurae pavor arripit capillos,
Dum verbis tuor uſque viva lectis,
Tanquam pumice raſa vel noveno,
Vel plus; raſa ſed interim nec uno;
Nam ſunt ſic Genio recente fuſa,
E ſacro ut Jovis inclyti cerebro
Olim proſiluit Patrima Virgo.

Ecquid ſed memini unius Patrimae?
Iſthaec nonne itidem? Perinde rurſus
Et Matrima eadem, potens utrinque
Hinc gazis veterum, hinc et extero-
rum,

Quos noſtro docet haec loqui ore
preſſim.
Quis non hos timeat ſubire vultus
Subductis rationibus verendos,
Qui verum ſimul, elegansque, tanquam
Luſus, in numerato habent perinde.

At eſt, pectora rurſus hic quod
omni
Mox formidine ſolvat aegra, curas
Et mergat maris Jonii ſub imum.
Judex haec ſibi tam ſevera tantum eſt.
Caſtrorum Domitoris, urbiumque
In Loudoni ubi ſerta docta laudes


Tan-

Tanquam nexuit aemulata verſu
Pol quam lauricomo! tamen veretur
Huic lucem dare. Furta nos bearunt
Dextrae haec dignius aeſtimare doctae.
Hoc mentis vitium mihi modeſtae
Extrico facile. Eſt et iſta virtus,
Lecti ut ſint veteres ei potenter,
Prae ſe nil tibi ferre doctum in uſu.
Hic tantum ut rudis; aſt amoena virgo,
Faſtus neſcia ſe, ſuperciliîque,
Palmam una referens benignitate
Dat comem ſocialibus choreis,
Dat comem bene cogitans amicis.

Hac

Hac vobiscum igitur, mei libelli,
Quos iſthic meliore ſub caterva
Ternos in latebras recondo cautus,
Hem quam pulchre agitur ſub hac
Patrona!
Indulget: ſimul ipſa vindicando eſt.

Prae-



Praefatio.

Jam tum inde, cum ex editione Mauracheriana Augustae Vindel. mea de Stilo, et sapore Elegiae Catullianae cum commentatio recentiorum quorumdam paradigmatis sub annum MDCCLXXVI prodiisset in publicum, non defuerunt, qui et suam de Nasoniani generis praestantia retinere sententiam mallent, et deside-

ra-

rarent adeo proferri ejusdem Stili quaedam ſpecimina, quae fidem facerent, non invidia, imperitiave alterius generis ad Catullianas me partes feciſse veluti ſeceſsionem, ſed judicio meo, arbitrioque ad easdem fuiſse adductum. Quod a me, ubi auctiorem hujus generis carminum Collectionem Vindobonae annis MDCCLXXXIV, et -- LXXXV Typis Kurzbeckianis edideram, tanto contendere studiosius Ovidiani nominis amatores instituerunt. Quibus ego non aequitatem modo debere me ſentio, ut hoc quoque ſcribendi genus a me aestimari, atque in deliciis olim mihi fuiſse profitear: ſed et illud ostendam amplius, me ne nunc quidem retractare illud, ubi uſus veniſset, quidquam dubitaturum; neque proinde, ubi me Catullo dare coeperam, in univerſum Ovidio renunciaſse.

Id jam vel ex hac Collectione constare liquido potest: nam et multas expolitio-

litiones meis in elegis recentiore demum manu addidi, et Carmen Didacticum de Moderamine Amoris vix ducentis olim versibus tum inchoatum, tum obiter delineatum multo demum postea est a me resumtum, atque absolutum: cujus argumentum, cum salubriorem contineat Philosophiam, hanc a me editionem postulabat: etenim solivagum exire illud non videbatur oportere; cum fore alioquin praeviderem, ut libelli tenuitate contemneretur. Quare circumponenda eidem ornamenta alia fuere, ut apud eos homines, qui oculo ducerentur, tanquam suspensa hedera vendibilior, et ipsius libri mole conspectior fieret.

Ad syllogen igitur quandam adjeci animum, in quam postremae aetatis Poëtarum Elegiacorum ejus generis pleraque contuli spicilegia, quae deperitura alioquin oppido erant; cum non nisi manu descripta, ac sparsim reperta ad me pervenissent: cujusmodi chartae, etsi pre-

tii

tii saepe non minimi, sine colligentis tamen opera facile illo delabuntur, ubi situ compressae in perpetuum oblitescent, uti carminum, quae intra manum jam habui, non nullis usuvenit, dum communicandi, commodandique benignitate minus accuratas in manus inciderant: qualia erant Gözenbergeri, atque item Spenneri quaedam. Sicubi etiam desident porro, neque imperitarum praeda operarum sunt factae: quis eas tamen excitare, publicoque impertire solitarias aggredietur?

Ego vero jam isthaec non ornamenti modo ascivi causa, sed etiam profecto adversum non nullos grati animi ergo. Atque illud quidem suapte puto non pigendum facinus, si demortuis, atque oblivione haustis, qui bene aliquando de Musis erant promeriti, vitam reddere litterariam fas est, quo eorum honor in famam, atque in secula mittatur, tum invitamento Eruditis ceteris,

ut

ut et ſe coli poſse non deſperent; tum et incitamento posteris, ut ad imitandi, aemulandique facultatem ſua conferant ingenia. De iis vero, qui bene de me privatim erant meriti, ubi ad quemque ordine recensio nostra devenerit, ſeorſum praedicabo. Sic et in meos libros Elegiacorum; quae ad rem praeſentem pertinebunt, ſuo quibuslibet loco praefabor.

Sunt ea, si carmen didacticum excipias, intra illud ſexennium ab anno M DCC LVII ad usque M D CC LXII, ac proin juvenilibus in annis effuſa magis, quam tot inter occupationes alias elucubrata; uti et pleraque Poëtarum isthic ceterorum, qui aequali potiſsimum aetate ſua condiderunt; postmodum ad multo alia tempore ſuo quemque avocante. Interim tametsi abſolutiora exſpectari fortaſse ab annis longius progreſsis, magisque exercitatis poterant: at vigor tamen ille juventutis, quem et

in Romanis olim Poëtis internofcere non nulli probe, atque deminutum aetate jam graviore perfentifcere sibi videntur, et hic in eisdem facile desideraretur. Igitur isthaec ex multo olim locupletiore penu analecta non me piget juvenilis potifsimum operae fetus efse, atque me ipfum post id aetatis his lusibus fuperfedisse, non nisi Catullianis, quae nervos firmiores postularent, ex intervallo repetitis.

At multo alterius funt generis Didactica, praefertim quae aliquid fagacioris habeant Philofophiae: in his enim cum sit cogitatius verfandum, vix penetrandis, arbitrandisque rebus fufficiet aetatis immaturitas; cum hic operae pretium paene omne falubritas ferat, cui fe venae poëticae reduntantia citius ingerat intempestive, quam ejusdem vacuitas veniam non multo facilius impetret: quando res utiles, et nativae fine modico coli amant. Itaque ex illo quondam initio intermittendas elegias ceteras pae-

ne

ne tanquam in perpetuum; at verſus didacticos tantum ad eam maturitatem reſpicere putavi.

Ubi jam de causis singularibus, occasioneque expoſui hujus quoque ad ſuperiorem illam ſubjungendae Collectionis: non equidem illa repetere attinet, quae aliquid ad publicam rei litterariae opportunitatem habere hodieque momenti queant; cum sint communia eadem cum iis, quae jam ſum ad editionem Catullianorum praefatus. At quae invidiosiora his litterulis indies fieri incipiunt, iis non alienum erit aliquid ex re nata praestruere. Atque in primis quod in priore illa Collectione inter lucubrationes alias etiam mea, aequaliumque meorum interſerueram ſpecimina, ſugillatum est ab non nullis, tanquam id desiderio fieret, aut commendatione Instituti illius, in quo haec olim adoleverant. Id ego vero parum morabor, si vel verifsime poſset istiusmodi affectatio redar-

 gui:

gui: num enim ea tamen aut rem, quae carmine canitur, aut Poëtae venam faceret deteriorem?

Aut quasi quidem penes illud duntaxat institutum ea laus fuiſset, atque diſciplina; cum in Commentatione de Stilo Catulliano omnium gentium Viros hodieque adusque celebres eadem inclaruiſse ostenderim? Interim nec illud aequus arbiter diffitebitur quispiam, habuiſse illas olim litterarum altrices domos complura optimi exempli adminicula eruditionis excitandae, ac ſustinendae, ne in posterum quidem ad alterius iterum diſciplinae opportunitatem contemnenda, neque prorſus in Historia Litteraria momenti nihil habitura: in qua res etiam quasdam tenuiores non raro interest memoriae transſcribere.

Multo autem minime videtur committendum, ut partium sive politicarum, sive religioſarum studiis litterarias in ſcrip-

ſcriptiones hujusmodi duntaxat nomine aliquid liceat; ex quo in odioſum potius inſectatorem quemque recidere invidiam par erat. Et hanc libertatis veniam petimusque, damusque hodie quidem certe in hac rei etiam politicae gratia. At inde ſuperiore ab aevo non multa ex nostratibus istius poſsim exempla proferre modestiae; multo ausim plura exadverſum laudare aequitatis, e.c. Keyſsleri in Antiqq. Celticis adverſus Bollandi Continuatores; Theoph. Bayeri in Muſeo Sinensi adverſus Scriptores ex Societate Sinicos; Hickesii in Theſ. Antiquitt. Septentr. adverſus Papebrochii Sectatores, quibus prae Mabillonianis defert, R. Peperi in Praefationibus ad Ang. Gazei Pia Hilaria Londini 1657; C. V. Vonckii in Praefatione ad Guid. Ferrarii Commentarium de Reb. Gest. Eugenii; ex qua memorabiles ad hoc caput ſententias transferre Lector queat; dum iis hic exſcribendis ſuperſedeo; quando propius abeſse jam puto, ut ae-

quitas etiam in nostris desiderari ista porro non poſsit.

Ne fortunae quidem licentia in Ciceronem, non multo antea capite plexum, tantum potuit, ut non ejusdem lectioni Augustus III Vir interveniens deprehenſum ex filia Nepotem, ac verecundantem, Plutarcho teste (in vita Ciceronis), perbenigne arbitrii ſui metu liberaret, ita Cicerone collaudato, ut legendi studium ſuomet etiam exemplo adderet. Quare imbecillas hujusmodi nimis quam illiberalis ingenii petitiones ne deprecabor quidem, ſecurus ſatis eorum, quae sint apud ſe cogitaturi alii. Et putent licet non nulli, aſpernando peragi omnia: quid tum deinde? Quasi non orbe palam constaret, tantum duntaxat explodi?

Neque illud quidem admodum verebor, si inficetum quibusdam videbitur, quod non nullas etiam argumenti ſacri ele-

elegias in hac ſylloge profero: quibus tamen alii contra delectabuntur. Illi, qui his minime afficiantur, earum lectione ipsimet abstinebunt: ferent tamen haud graviter, si inveniri in his quoque artis, ac Genii quiddam putemus, qui ſaepe pretium eo fert majus, ubi ſe rebus, quibus minime exſpectaſses, impertire noverit. Ovidii, Maniliique astronomicas probamus deſcriptiones, tametsi ad multos parum adtinent: et mythologiam iis intextam etiam cum voluptate perlegimus; cum ei fidem tamen haud ſane habeamus, imo hanc potius in habente averſaremur. Statuas, imaginesque Sanctorum, quas insigniti artificis manus effinxerit, quamvis ab historia ipſa non raro illa deflectat, minime tamen putamus tollendas, delendasve.

Ego vero non pauca isthinc, sive quae abſurdiora viderentur, aut incommodiora ſaltem, sive quibus nihil porro afferret ſcribentis indoles, aut plane ſub-

movi, aut ex eisdem refcidi, quae ad gustum non facerent, et hinc quasdam etiam bene longas elegias cenfu non admisi. Neque vero nullus fuit in repurgandis manufcriptorum mendis, atque etiam in quibusdam expoliendis Poëtarum versibus labor: ac nihilo fecius complura culpationi obnoxia confulto retinui, sive quod illa, quae forent aliis fufpecta stribliginis, cum Auctore juxta probaveram; sive quod castigatio operae pretium non ferebat. Ceterum in Collectione quidem venia de reliquo sit oportet, ut argumenta etiam admodum difparata sibi locum inveniant: quo pofsint item Lectorum animos in diverfa pro fe quoslibet propenfos tenere: esto, non nulli quaedam abefse maluifsent.

Atqui magna est hodie, ajunt, illius litteraturae veteris affectandae fatietas; magnum in eadem laureolae quaerendae fastidium. Distinctius ista fecernamus: feruntur enim admodum bifari-

fariam. Olim quidem hominem doctum ferme Latina ſcriptio abſolvebat; atque haec, neglecta patrii ſermonis expolitione, uſuraque corruptiſsime ad vulganda pleraque adhibebatur. Factum id diu; ſed, ut cum Horatio loquar, *nimium patienter utrumque.* Quodsiqui hoc cacoëthes ſublatum eunt, et si necessitatem duntaxat hujus diſciplinae litteratis detrahunt, atque jactantiam: habent me sibi aſsentientem.

Sin autem eo rem valere volunt, ut ſeneſcere hanc prorſus litteraturam, atque in eadem exercitationem omnem cogant: tum vero facile eo advertimur, ut, cur hoc pugnent, requiramus, atque in proclivi est, ut apologi, si recte memini, Gellertiani admoneamur, in quo vulpes perſuadere ſuis gentilibus conatur, uti caudas vellent ſuas plebiſcito miſsas facere, quoad illam inter carrecta perorantem, contecto tergore, ad extremum constitit eadem fuiſse admu-

tilatam: nam magnum diſcrimen interest, utrum eruditionem, qua plurimi carere poſsint, ſupervacaneam dicas; an vero ejus deſperatione sic tibi conſulere instituas, ut illam furca expellendam, funditusve cures exstirpandam.

Fas erit id moribus gentium, ut res antea celebratae considere ſubito, ac vulgo interquieſcere incipiant. At non ea abrogatio dicenda est, quae privatis jus faciat ista eo nomine proſcribendi, quia multi jam non utantur; neque item lex aliis imposita, ut iis, quae penuria potiſsimum rareſcant, sibi pro ſe quisque abstinendum putent. Potius contra videmus fieri, ut quae antiquari coeperant, siquid eis gratiae inerat, paulum reconcinnata postliminio reſumantur.

Quid ergo? Intermediine aevi litteraturam omnem, ſaepe cum Priſcis non infeliciter aemulantem, et quibusdam duntaxat ingeniis ſupervacaneam e

bibli-

bibliothecis exterminemus? Aut jam pari profecto cum iis jure ſunt, quicunque et in posterum aliquid ea in ratione conabuntur: quid enim illis tanto numero ſuperioribus, qui ſecundum veteres nostra cum voluptate paſcunt otia, est propensius, quod non item in posteriorum quemque conveniat? Num ut ne copia augeſcat? Imo hanc Latinae deminuunt litterae. Patriis fidit quisque. Priſco ſermone ſcriptio mediocritatis veniam vix impetraverit.

Tum cedo, quid Graeco, quid Arabi, quid Hebraeo ad auram hanc publicam, et ad legentium oculos est juris? quae tamen quis aegre ferat ſuis amatoribus non carere? Quis exturbet? Quis non et haec praesto eſse alicubi aequiſsimum putabit? nam qui rem aut non amat, aut non aſsequitur, illa careat, licebit. At proptereane ejusdem cupidiores frustrandi ſunt alii? Quis,

quia

quia Flamminius sit ipse, Fracastorios idcirco, Vidasque, et Sannazarios persequatur?

Quam isthic inane illud intempestivitatis nomen! Quasi litterarum amores praescribere penes quenquam esset? Res voluptatis sunt illae politiores, ut, qui sive huic, sive isti necessarias demonstrare velit, multum laboret: neque ad insistendum, neque ad supersedendum cogere placide decet. Sed sunt item, ut ipsae voluptates ceterae, cum opportunitatibus variis, iisque saepe fortuitis conjunctae: quas, nisi jam consuetus ad facultatem, nunquam assequetur; cum facili brachio iis alter vel paulum exercitatus potiatur. Et vero ipsam concidere apud nos litteraturam veterem neque munerum necessitudines, neque omnis notitiae fontes, ac ne columnae quidem, et vetustatis repetendae ratio patientur; nedum ut id per homines istius voluptatis honestissimae

mae cupidos liceat. Quodsi elegantiae Latinae feras ufum, hanc quoque exercitationem oportebit feras, qua linguae non cognitio modo, fed et facultas admodum familiaris comparatur: et, siquid bene cefserit, jam proin nec lucem publicam invidebis. Quos sit Lectores nacturus, fuo quisque periculo viderit. Interim hujuscemodi etiamnum fcriptiones requirentium non afpernabilis per terrarum orbem est numerus.

Neque admodum moveor, si linguae patriae dicant defieri, quidcunque impendatur alienae; tametsi id, quod hic coarguitur, non efse de nihilo lubens confitear: nam et in Germania natis tantum ad linguae facultatem illam, quantam sibi veteres in fuis compararunt, imo eisdem potius impertierunt, contentionis est opus, quantum nemo nisi diuturna jam opera edoctus intelliget. Quodsi tantumdem igitur in fermone jam desito ad perdifcendum requiritur dili-

gen-

gentiae, quidni patriae linguae detrahitur, quantum in vetere insumatur?

Nihilo secius haud istud prohibebat, quin Graecae possessio olim aeque penes Romanum esset, ac suae: quamquam haud paulo hic deteriore nos loco, quibus tot idiomata, in eisque etiam intermortua sint condiscenda. Sed num haec omnia ad quemvis pertinent? Num cujuslibet perinde interest? Num et patrius sermo tantundem ab unoquoque desiderat? Nonne unam saltem arripuisse linguam expediet jam per artes consuefactam, ut et sibi ad cetera, et ceteris ad eandem perfectionem sit exemplo? Hic quid ita cum Latinis istiusmodi exercitationibus belligerabimus, siqui eas aetate hac jam paene fugientes sustinebunt, ac tuebuntur?

Atqui

Atqui quis gallice, italiceve ſcribentem reprehendit Germanum, cum ſatis eſse multos ſciat, qui hac ſe utentem lingua intelligant? Quid hic patrio deperit ſermoni? At enim non ſunt hodieque totidem, qui Latinum aeque calleant. Quasi non id ipſum longius ab ea laude abeſset, quae nobis studiosius alenda foret? erunt enim jam et tanto pauciores eruditi, tantoque minus in omni veterum artium genere conſulti, tantoque magis impares ſalutandis fontibus; quando jam et de eorum intelligentia linguae dubitare merito poſsis; cum haec extra uſum, atque exercitationem non ſoleat radices agere, neque curam afferre. Tum vero latine doctis placere vel paucis si queas, nonne id potius habeas, quia penes hos et ceterae plerumque doctrinae ſunt: quas qui aliunde aſsecuti ſunt, ad extremum optare tamen ſolent, utinam et latine ſcirent.

Cete-

Ceterum cum editione Catullianorum Poetarum vulgata de minutioris typi molestia conquesti eſsent non nulli: incubui, ut in isthac ad oculorum delicium omnia commodius accurarentur.

FRAN-

FRANCISCI XAVERII MÜLLERI
EPISTOLA,
QUA
AUGUSTA VINDELICORUM A GALLO - BAVARIS EXPUGNATA A SERENISSIMO DUCE BADENSI AUXILIUM PETIT.

PRAEFATIO EDITORIS.

Debeo id Popularis mei Piis Manibus, cujus liberalem, longeque ab omni remotam morositate senectam testari ipse queam, cum etiamnum puer Parnassi initia sub an. 1750 delibare coeperam, praemiolis ab op-

timo Sene perbenigne affectus; debeo hoc Piis Manibus, ut intermori, aut considere ejus nomen ne patiar; quando is praecipue posterorum, qui sapore Ovidiano praestiterunt, plerisque ad imitandum exemplo fuit, cum ejus carmina ceteroqui scripto duntaxat circumferrentur. Brixina, quod sciam, oriundus, cum adolevisset, Ovidiani stili familiarem illum colorem non lectione modo plurima, sed excerptis etiam, observationibusque scriptis sibi comparavit: quas ab eodem exceptas, ut verisimillimis indiciis comperi, Brixinae Clariss. Reschus, cum ejus Urbis Gymnasio praeesset, magno Tironum commodo publicavit, ac, ut videtur, itidem locupletavit. Hanc, quae hic subjicitur, elegiam annos circiter natus 24, ac tum humanioris litteraturae Augustano in Gymnasio Magister publicus est elucubratus, ex more scilicet instituti, quo necesse erat ea aetate doctoribus quibuslibet nonnulla per annum pensa elaborare litteraria, eaque specimina anagnostis loco prandio assidentibus recitare. Argumentum praebuit urbis Augustanae obsi-

dio,

dio, cum eam nempe ſub an. 1703 *Bavaricus Elector Maximilianus Maria Emmanuel compuliſſet ad deditionem; quae anno tamen poſteriore* 1704 *praelio ad Hæchſtadium ſecundum Caeſarianos commiſſo incommodis omnibus eſt liberata. Cetera ex ipſomet Auctore volupe erit cognoſcere. Neque vero dubito, exſtitiſſe et alia Viri egregii monimenta ingenii, ſuomet Marte, atque arbitratu ab eodem ſub haec tempora pro otii, geniique opportunitate ſcripta. Sed pridem haud dubie deperierunt: namque & iſthaec elegia Auguſtana vix mea adoleſcentis tempeſtate cujusquam in manibus erat, caſu demum poſtea ſecundo quodam ab interitu vindicata. Contra ea frequentius ferri in manibus ejusdem Axiomata divinae Sapientiae, quae jam virili aetate, magisque agitatus, et ad res ſubinde aulicas adhibitus ab iis, qui ejus operae commoditate ad ſua deſtinata utebantur, evigilavit. Cum e Mſſ. quod ſciam, ea tantum legeremus, incubui, dum eram ſub annum* 1760 *Monachii, ut Typis deſcribendi opera levaretur. Neque eo*

ſecius etiamnunc tanquam pro ineditis jactari a me poſſe autumo, quia inexſpectatiſsimo ad notitiam litterariam, obſcuriſſimoque praelo, quod ab aurea elemoſyna Monachii vocatur, prodierunt. Quibus eisdem tamen typis mihi contigit praeſtantiſſima Livini Mayeri Pöemata, cum antea difficulter, ac caro conſcriberentur e Belgio, magno ementium compendio curare recudenda: prodierunt igitur ibidem, eodemque anno 1760. *Eſt inſigni vir merito ad ſumam ſenectam usque in honore habitus: neque diu tamen poſtea, quam Halae eum noram, vita ſuperavit.*

PRAEFATIO AUCTORIS.

Veniam dabitis, A. A. Religioſi, ſi antiquam, quod ajunt, crambem recoquam, et quas labente anno ante vernum jam pridem jejunium ad nauſeam usque decantari audivimus, etiam post paſcha lamentationes repetam. Culpam velim tempori imputetis, quod ſatali ſua iniquitate liberrima

ali-

alias ingenia ita ſtringit, ut, quo demumcunque avolent, praeter infinitas ubique locorum calamitates nihil reperiant, inquo deſcribendo ſuam jam operam mundo locare poſſint. Qua neceſitate et ego compulſus iisdem quibus everſas olim Solymas Ieremias lugebat, lamentationibus Auguſtanas hodie ruinas deflebo, et verſu quidem Elegiaco, utpote prae ceteris ad affectum doloris aptiori.

Id tamen praemonitos vos velim, me ex plurimis, quae et veriſſime dici et omnium elegantiſime carmine exprimi potuiſſent, fere omnia omiſiſſe, ne aut de Perſona Principe verbulum aliquando acerbius excideret, aut, quod Regula prohibet, Chriſtianorum Regum bella in colloquium adducerem. Quod ſi unum, alterumque Epitheton ſignificantius videatur, id, ſi non neceſſitati carminis, licentiae Poëticae certe indulgebitis, illius Horatiani memores, Pictoribus, atque Poëtis Quidlibet audendi ſemper data plena poteſtas.

Synopſis porro Elegiae haec erit. Auguſta (quam Matronam, et urbi Auguſtae

Dominam ſingimus) brevem epiſtolam ad Sereniſſimum Ducen Badenſem mittit, in qua primum obſidionem, urbisque deditionem exhibet: ſubin de promiſſis, nec miſſis ſuppetiis leviter queritur. Mox infortunium ſurum exagitans, damna inenarrabilia a ſuis ſibi hoſpitibus illata modeſtiſſime attingit. Demum obſecrat, ut, ſiquid penes eum pietatis in Auguſtam ſuperſit, quamprimum cum exercitu ſuo revertatur. Haec materia, hoc argumentum. Vos auribus ſavete, et qualemcunque laborem hunc aequi conſulite.

Quam legis, afflicta ſupplex tibi fertur ab urbe
Littera, pulvereis undique ſparſa notis.
Da veniam, Lodoix! fatis agitamur iniquis:
Quam trahimus, vitæ convenit iſte color.
Perlege, non hoſtis, ſed ſunt ea verba Clientis,
Et venit a nota littera ſcripta manu.
Nec venit, ut multam tibi dicat amica ſalutem:
Ipſamet haec ſcribens dextra ſalute caret.
Scilicet Auguſtis, ubi ſumma anguſtia, tectis
Mittitur, exilii nuncia charta mei.

Et

Et rogat, et queritur; non immatura querela eſt;
Nec damus ante ſuam vota, precesque diem.
Opprimor indignis Auguſta miſerrima fatis,
Et me ſors toto pondere laeva premit.
Forſitan, infelix quid agam, reſciſſe iuvabit.
Flemus: habes vitae facta, modumque meae.
Si tamen, ut nôris, cupias audire, quis Auctor,
Quaeve ſit infandi cauſa, caputque mali;
Ah! ne quaere ultra; verbo tibi ſingula dicam.
Belliger Auguſtae moenia Gallus habet.
Me Miſeram! quid prima juvat momenta doloris
Intempeſtivo pingere velle ſtilo?
Pingo tamen. Caperata ibat jam fronte December,
Altaque Phillyrii depulit aſtra ſenis.
Nec tamen aſpiceres hiberno ſtantia vitro
Flumina, nec cano prata ligata gelu.
Nec juga denſatis nemorum ſqualere pruinis;
Nec nivea preſſum mole rigere ſolum.
Sed fuit aeſtivi facies innubila caeli,
Sparſit et ardentes Phoebus ab axe faces.
Hinc ego per laetos excurro saepius agros,
Ut relevem longo corda gravata metu.
Quin, ut eant plures ſimili dulcedine ſoles,
Saepius ad ſuperos fervida vota dedi.
Fervida vota dedi: Duret placidiſſimus aër.
Vota ſed heu! damnis officioſa meis.
Bisquater auricomum referabat ſudus Olympum
Cynthius, et mites juſſerat ire dies:

Cum

Cum volat ad timidas infelix nuncius aures,
Et tales tremulo trudit ab ore ſonos:
Heu! fuge, Nata Diis! Dulces feſtina Penates
Deſere; fata iubent; ni fugis, ipſa peris.
Indolui pavitans, quamvis incerta, quid eſſet,
Et cauſam ſubitae territa quaero fugae.
Ille, ubi deterſis oculorum fletibus, ora
Solverat, hoc repetit: Ni fugis, ipſa peris.
Marſpiter immiſſis huc fertur acerbus habenis,
Bellona ſocias anteferente faces.
Vidi ipſe innumeros equitum, peditumque maniplos
Auguſtam rectâ praecipitare viâ.
Imminet hic Bavarus; conferto hic ordine Gallus
Imminet, in cladem turba parata tuam.
Obrigui auditu: ſubito tamen excita ſurgo.
Nam torpere diu non ſinit ipſe dolor.
Quid facerem? Ter caelo oculos, palmasque tetendi;
Ter tacito tales fudimus ore preces:
Chriſte, quid heu! primos iuvat eluſiſſe timores,
Sanguineis fiam ſi modo praeda lupis?
Hocne erat, Alme Pater, quod te tam ſaepe rogabam?
Quod petij facilem ſupplice voce polum?
Orabam, vigilis ne me petat impetus hoſtis:
Nunc ſtrepit ante meas buccina rauca fores.

Hoccine de doctis praeconum ſacra cathedris
Turba fuit populo pollicitata meo?
O quoties dixit: reprobae fuge crimina vitae
Urbs Auguſta! tuum dilige grata Deum.
Deteſtanda lues, et inexcuſabile crimen
Urbibus exitium, perniciemque ferunt.
Si peccare caves; Superum ſi juſſa capeſſis,
Sancta quies; dulcis pax tibi ſemper erit.
Sic mihi ſaepe ſacer cathedrali Orator in aede
Depulit ancipitem corde tremente metum.
Sic ſaepe, ad divum Chriſti qui dogmata tractat
Mauritium, indigenis pectora mulſit heris.
Qui docet ad ſtellam, ſic me ſolatus amice eſt.
Saepius et ſtellam dixit adeſſe ducem.
Nunquid ego Patrum cura mandata fideli
Exequor, et Divum numina magna colo?
Planctus, et attritam reſonat Metanæa per urbem,
Placatum miſeris quae facit eſſe Deum.
Velatum ſub farre Deum nunc poplite flexo,
Nunc ego thuricrema ſum venerata prece.
Relligioſa obeo nunc agmine ſupplice templa;
Xavier, auxilium nunc peto, magne, tuum.
Nunc ſacra Virgineæ perſolvo Roſaria Matri:
Acclamant juvenes, femina, virgo, ſenes.
Et tamen hae (tantaene animis caeleſtibus irae?)
Et tamen hae fructum non habuere preces.

Imminet Auguſtae Bavarus denſiſſimus urbi;
Franca ſuſurranti flamine ſigna volant.
Praecipe Chriſte (potes) campos depreſſus inundet
Ut Lycus, et coeptum ſic remoretur iter.
Mox (fateor culpam) caelo convicia feci,
Quod ſemper placidi ſint ſine nube dies.
Indignans dixi: Concurrite nubila caelo,
Et madidus pluvias concitet Auſter aquas.
Occule, Phoebe, jubar; quantumvis faveris olim
Lumine, nunc rutilas occule, Phoebe, faces.
Utilis ante mihi ſplendebas: at modo caeli
Utilior vultus nubibus ater erit.
Dum tamen iſta gemo; luctum lenire laborat
Nuncius, et queſtus temperat ille meos.
Quid ſibi jam tanti planctus, Auguſta? reponit.
Mitte queri; Lodoix jam parat acer opem.
Nec reor hoc falſo: Ductoris provida certe,
Ut credam, virtus, ſedulitasque facit.
Talibus erigimur dictis, poſitoque timore
Convoco Caeſareos fortis in arma viros
His Göggingenſem; quae Vindæ proxima, portam
Credo aliis: reliquis valla tuenda dedi.
Anxia clamo ſimul, noſtras, Deus Alme, cohortes
Protege. Tu ſerva pectora promta mori.
Protege, ne Scythicus Fuggerum ventilet Eurus:
Non decet ingenium mite furore peti.

Protege, quaeſo, Duces; nec aquoſi nubila caeli;
Nec noceant gelidi frigora dura Jovis.
Protege; da validas vires, vegetamque ſalutem;
Particulam aeterni pectoris adde viris.
Nec mora: Quisque volat ſub ſigna, enſemque capeſſens
Devovet obſequiis ſeque, animamque meis.
Felices nimium, ſi tanti in plebe vigores
Senſiſſent ſociam, Maxime Ductor, opem.
Sub juga noſtra Lycus rapidiſſimus iſſet, et Iſter:
Nec premerer tantis, quae patienda, malis.
Et jam conceptae prima ſine labe Parenti
Sacra ſerenato fulſit ab axe dies.
Quae ſimul orta fuit, ſimul ipſa luce retexit
Et ſcelus, et tumidi triſte furoris opus.
Vidimus albenti vexilla nitentia flore:
Foſſaque nocturno ſtructa labore patet.
Irruit aerato tempeſtas ferrea cornu;
Grando frequens peditum, plurimusimber equis.
Hinc cataphractorum ſeries horrenda virorum
Ructabat tumidas dente fremente minas.
Inde pedes Boicus robuſtos ventilat armos,
Fulmineos inter tutus ubique tubos.

Par-

Parte alia quaſſis ſtat dira Aquitania ſignis,
Civesque Andegavi, Lemovicique Duces.
Santones irrumpunt, et diris Lingones armis
Exacuunt iras in fera bella ſuas.
Pictones, Alverni, Flanderque, et Belga, jugales
Ignivomos portant in mea damna globos.
Nec ſatis eſt tantas in me miſiſſe cohortes;
Maximus Emmanuel ipſemet agmen agit.
Ipſemet agmen agit, magnique eſt agminis inſtar,
Incitat et populos voce, manuque ſuos.
Nec mora; vicinos ſternit mors aerea campos,
Eminet et celſis machina ſaeva rotis.
Et jam terrificis circumtonat aenea bombis,
Noſtraque continuo valla furore quatit.
Fit crepitus; credas rupto ruere aethere caelum,
Inque vetus mundum rurſus abire Chaos.
Excelſae turres titubant, loca ſumma vacillant,
Motuque ingenti percita terra gemit.
Impacta muri ſeries mox glande fatiſcit,
Saxaque concuſſis moenibus alta cadunt.
Sic trifidos Ignes, et ineluctabile telum
Dejicit in trepidam Iuppiter altus humum.
Namque repente furens magno ruit impete fulmen,
Subjectasque nigro diſjicit igne domos.
Concutitur tellus, ſilvarumque ardua fumant,
Tactaque terrifico ſaxa fragore crepant.

Haec

Hæc ut dura forent, Bavari ſatiare furores
Non poterant: multo ſaevior eſſe cupit.
Ignitos hinc inde globos immittier urbi
Imperat, et piceas nocte, dieque ſaces.
Continuo rubeis circumfluit imbribus æther,
Et volat incluſo ferrea maſſa focô.
Decidit immani, tandem laſſata, fragore,
Inque humilem terram tecta ſuperba trahit.
Vix diffracta crepat, prorumpit flammeus imber:
Vis flammae nunquam fortior ulla fuit.
Et quae ſcintillas primum, radiosque vomebat,
Flammarum totos nunc jacit illa rogos.
Non ſecus, ac fornax undantibus ebria flammis
Immenſos ignes cum retinere nequit.
Volvuntur toto flammarum incendia caelo,
Ut timeat propriis territa Luna rotis.
Sic fracto ſaevire globo Vulcania peſtis
Incipit, et calidas ructat anhela faces.
Undique fumoſis plene dominatur habenis
Mulciber, et tota barbarus urbe furit.
Barbarus urbe furit; jam peſtem in Principis aedes
Quas modo nobilibus ſtruxit amator equis,
Impius eructat. Domus altis nixa columnis
Decidit, injectis tota cremata rogis.
Urbica jam ſparſis atrox granaria flammis,
Corripit. Ambuſtum far, et avena volant.

To-

Totumque intexunt fumanti turbine caelum,
Inficiuntque sua tecta propinqua lue.
Hinc sua Canonicis, quibus a Cruce nomen, in aura
Horrea, conferto farre referta, crepant.
Inde quod excelsis templum praenobile tignis
Exstat, et a Iesu nomine nomen habet,
Illabente globo trepidat, certaque ruina,
Ni tua fulciret, Xavier, alta manus,
Conciderat. Tabulata chori, centumque fenestrae
Frustratim subito dissiliere metu.
Hunc alius super, atque alius globus advolat, Orco
Qui gravis, et vivo daemone foetus erat.
Et jam, qui solita lustrant Gymnasia cura,
Qui tecta, et vigili turrim obiere pede,
Conclamant subito: Properate! incendia gliscunt,
Qua vicina istis stat casa parva scholis.
Vix novus arrectas clamor pervenit ad aures,
Moesta repentinus congelat ora pavor.
QuinquePatrum celeres cunctis timor addidit alas:
Effusa vitae consuluere fuga.
Francisci petiere Lares, asperque cucullus,
Dummodo non pehetrent ignea fata, placet.
Ast alii, queis majus erat sub pectore pectus,
Coepere affusis ferre levamen aquis.
Vidisses properare Patres, properare Magistros,
Totaque sudanti flumina ferre manu.

Perdita nempe foret Domus hæc, niſi ſumma fuiſset
Perdius, ac pernox cura, laborque Patrum.
Parte alia (dictu miſerabile) tecta domorum
Quinquaginta, igni decinerata ruunt.
Adde, quod inteċtas flatu vehemente favillas
Sparſerat adverſus per loca plura Notus.
Credebam patriis lapſum Phaëthonta quadrigis
Denuo terreſtres urere velle plagas.
Tantus ubique calor, tantus circum exſtitit ignis,
Attonita tantus fumus in urbe fuit.
Adfremuit magno tonitru circumfluus aër,
Horrendoque Lyci mugiit unda foro.
Ipſum etiam, fama eſt, (quis crederet?) ordine Phoebum
Retrogrado ſolitam deſeruiſſe viam:
Stellarumque gregem, Cygnumque, vagamque Coronam,
Et Jovis Algebran*, Herculeumque caput,
Armigerumque Jovis gelidam fugiſſe ſub Arcton,
Ne videant Suevi barbara fata ſoli.
Hinc clamor, ſtridorque, fragorque, dolorque, furorque,
Et facies, qualem nullam habet orbis, erat.
Nam neque, ſi calamis utatur dextera centum,
Chartaque vel votis ſuppetat aequa meis,
Expediam miſerae lamenta immania turbæ.
Pars laniat crines, pars ſine mente ſedet.

Al-

* Sic reſtituendum putavi, cum in Mſſ. legeretur Aldebaran.

Altera moeſta ſilet; fruſtra vocat altera caelum:
Haec queritur; ſtupet haec: haec fugit, illa manet,
Quis mihi ſenſus ibi? cum tecta ruentia circum
Cernerem, et Indigenis aſpera fata meis?
Viſcera, (crede mihi) Metii in diverſa fuere
Non per quadrijugas ſic lacerata rotas;
Quam miſera aerumnas ego tales inter omiſi
Implorare hominum, caelicolumque fidem.
Ponito, clamabam, Gens Chriſto ſacra furorem!
Ponito, parce mihi; ponito, parce tibi.
Quid juvat eximium victoris nomen habere,
Si cum cognato ſanguine palma venit?
Vivite quisque ſuo, pacati vivite regno:
Pulchrius eſt capitis, quod dat oliva, decus.
Si tamen arma placent (rurſus proſtrata rogabam)
Si iuvat humana caede madere ſagum;
Ite, truces validis invadite Biſtonas armis:
Turcica Romano ſceptra jugate throno.
Gens inimica Deo, totumque inviſa per orbem,
Bosphorus effrenis, Luna ſuperba ruat.
Haec ubi fata, parum tacui: mox victa dolore
Increpo Threjicii Numina ficta Dei.
Improbe, vociferor, Mars perfide, terribilis Mars!
Saxee vir, peſtis noxia, magna lues!
Eumenidum ſoboles, ſceleratus abortus Averni,
Impie Teutonidum latro, vorago virûm!

Te ſteriles campi, vidui te fructibus agri,
  Devovet urbs humili concinerata ſolo.
Te duce regna jacent ſpolium deforme furoris:
  Te duce ſum Suevae plaga cruenta plagae.
Rurſus o! Europam, taurum mentitus amaret
  Iuppiter, inque aliam trans mare ferret humum!
Tutior illa foret, quam te fera bella movente:
  Impie, quas ſtrages, vah! mala quanta paris!
Sed ventis mea verba dedi; non audior ulli:
  Flectitur ad nullas ira animoſa preces.
Tempora vah! rerumque vices, moresque pudendos!
  Ferrea vah! mundi ſecula! Grande nefas!
Reſpondent triſti tormenta exploſa boatu,
  Reſpondent jacti, fulmina ſaeva, globi.
Sic mihi prima dies abiit; ſic proxima primae:
  Sic mihi ſors etiam tertia nocte coit.
Sed tua duram adeo ſortem promiſſa levabant;
  Credula ſpes, melius cras fore, ſemper ait.
Quippe videns caelum puro ſpectabile Phoebo,
  Exclamo: Lodoix ſi valet, ipſe venit.
Et cur non veniat? ſubdit comes; ah! venit, inquit,
  Et reducem media conſpicor eſſe via.
Quartus ubi clauſo ſuccedere veſper Olympo
  Ignea Phoebeis ſidera juſſit equis:
Conſcendo turrim mordacibus anxia curis,
  Lataque proſpectù metior arva meo.

In-

Inde ego quas longe venientes intuor umbras,
Credo Lodoiſium protinus eſſe meum.
Contigit, ut plures vicino in monte phalangas
Conſpicerem, et denſas approperare manus.
Vidimus, et ſubito tentantur pectora motu,
Laetaque comploſae ſigna dedere manus.
Diximus; Auſtriacae properat ſuccurrere turmae;
Speratam Lodoix fert bene promtus opem.
At nihil humanis fas quemquam fidere rebus!
Sublata haec etiam ſpes mihi, resque fuit.
Quid fieret, clam nocte fuit. Sed enim aurea poſtquam
Conſpicuum terris aſtra tulere diem:
Quem miſi, de monte redux mihi nuncius adſtat:
Care vir, exclamo, quae bona, quaeſo, refers?
An Lodoix rediit? Suſpiria reddidit; illa
Nempe negaturae pondera vocis habent.
Nec mora: nuda premens adductis pectora palmis,
Proſtratoque genu, ſupplicis inſtar humum,
Heu, quantum humanis, ſuſpiro, in rebus inane eſt!
Jam nihil eſt, fieri quod potuiſſe negem.
Iungentur jam gryphes equis, timidaeque columbae
Vitabunt turres, antraque caeca ferae.

Con-

Congeret aëria nidum ſuper arbore perdix:
Diligit inſidam Rex Halietus avem.
Da veniam afflictae, Ductor fortiſſime, cogat
Si modo ſuccenſens aſpera verba dolor.
Heu! ubi lentus abes! cur te dimiſimus unquam?
Nempe fidem verbis rebar ineſſe tuis.
Limine cum jamjam ſtares abiturus, et illic
Exciperes verbis ultima vota meis.
O mea ſpes! dixi, ſi te pia cura miſellae
Tangit, fac, redeas ad mea vota celer.
Tu quoque dicebas inter Jurantia verba,
Cumque foret dextrae dextera juncta meae.
Auguſta, hoc voveo, noſtrum dum vivet uterque,
Ipſe tuus ſemper, tu mea ſemper eris.
Sol prius ignivomos inhibebit in axe jugales,
Clara prius feſſos Cynthia ſiſtet equos.
Ipſe prius nullas reddet Lycus aridus undas;
Quam videas pactam me violare fidem.
Vivimus, o Lodoix! nec ſum tua, nec meus eſse
Tu cupis. Auguſtam iam puto noſse pudet.
Spes mea me luſit. Sta ſol, Pyroenta coruſcum,
Et croceas rutilo ſidere ſiſte rotas.
Tu quoque mutato retro, Lyce, labere fluxu;
Non dat promiſſam Dux Lodoicus opem.
Ius tibi, et arbitrium noſtrae fortuna ſalutis
Tradidit, inque tua eſt vitaque, morsque manu.

Et tamen auſus eras (deſunt ſua verba dolori)
Auſus es auxilium, tarde, negare tuum.
Non ita Pollucem dixiſſes Caſtoris eſſe:
Tu meus ut fueras, ut fueramque tua.
Saepe mihi dixi: prius orbe recentia ſurgent
Aſtra; prius ſurgent lilia nata polo;
Et prius exutis recreabitur unda favillis;
Et prius ardentes proferet ignis aquas:
Quam tua, Magne Heros, defecerit incluta, quamque
Tot reddunt fortem fortia verba, fides.
Sed modo, prô Superi! lacrymis tingentibus ora
Cetera me dicunt non potuiſſe loqui.
Interea dum multa queror, Biberachius urbem
Hoſti inſperata deditione dedit.
Vix mea liligeris audivi moenia Gallis
Tradita, nativus fugit ab ore color,
Et mihi, neſcio, qua, ſubito formidine tactae
Incerto moeſtum vulnere pectus erat.
Scilicet infandi, quos nunc fero perdita, caſus,
Duraque tam ſubitum fata tulere metum.
Auſtrius Auguſta miles diſcedit ab urbe,
Franciadaeque petunt limina noſtra Duces.
Vix tetigere domos, Auguſtam dixeris urbem
Illico in anguſtum triſte migraſſe locum.
Omnia continuo mutata labaſcere, et omnes
Deliciae refugo vertere terga gradu.

Heu! quae mox facies, et quantum mutor ab illo,
Heu! ubi nunc, quondam qui mihi cultus erat?
Seu cum Romani celeberrima Numina ſceptri,
Regibus adjunctis, hos adiere Lares:
Seu cum Caeſareâ cinctum, Joſephe, corona
Vidimus in medio te radiare foro;
Seu cum chriſticolas inter ſancita Monarchas
Pax fuit, aeternos perpetuanda dies.
Undique tunc Phrygio ſplendebam ornata tapete,
Tunc mihi fronte lepos; riſus in ore fuit.
Tunc fragor, atque hilares volitare per aera voces;
Tunc dare nitrati murmura grata globi;
Tunc nova laetitiam teſtari ſibila: pacem
Salvere hinc lituis iuſſimus, inde tubis.
At nunc quo dulces verborum abiere lepores?
Daedala, quo picto ceſſit ab ore Venus?
Quo dens, oris ebur? nivei quo lilia colli?
Quo nitor, et geminae, lumina bina, faces?
Quo roſa malarum, nativaque purpura labri?
Quoque prius poſuit gratia fronte Larem?
Quo coma defluxit flaventibus aurea cirrhis,
Quam velit eſſe ſuam Phoebus, et eſſe Charis?
Nulla mihi priſcae remanent veſtigia formae;
Nullus in oſſe vigor, nullus in ore color.
Vatum aliquis (memini) Gallo veniente canebat,
Vae tibi! quanta ſcies mox mala, quanta feres!

Quam mea ſatidico praedixit funera verſu!
Heu mihi! quanta ſcio jam mala, quanta fero!
Venit ſumma dies, et ineluctabile tempus,
Urbs Auguſta fuit: Suevia tota fuit.
Tranſtulit ad noſtros ferus omnia Iuppiter hoſtes.
Non talis toto eſt, ut meus, orbe dolor,
Sunt mihi Franciadum, ſunt millia dena virorum,
Millia magnificis exſaturanda cibis.
Tres bene robuſtos pauper muliercula paſcat,
Ipſamet exiguam quae rogat urbe ſtipem.
Jam cives, quos ſumma domi rerum urget egeſtas,
Conguntor plures menſae adhibere Duces.
Cui nullum eſt ſtabulum; cui nullum creſcere fenum.
Conſtat; hic octonos paſcat egenus equos.
Ipſae adeo exemtae, Clerus quas incolit, aedes
Sunt modo liligeris hoſpita tecta viris.
Vel ſua Praefectus penetralia cedat, oportet;
Et ſubito caula eſt, quae fuit aula prius.
Vixque domum tenuit noſtram ingratiſſimus hoſpes,
Et media clauſtri parte receptus erat:
Cum ſubito exclamat: Veteres migrate coloni:
Francigenis proprios Incola cede Lares.
Involat in *Socij*, primum Patris ille cubile,
Qui ſolum felix, tum quod abeſſet, erat.

Mox etiam arripuit vicini tecta *Simonis*,
Qui *Peccatoris* nomine clarus erat.
Cum gemitu pariter migravit *Civis honeſtus*,
Cui numeroſa domus, ſed penus arcta fuit
Tum Caulam invadit, vaccis, bobusque fugatis,
Et ſtabulum ſonitu quadrupedante terit.
* Heu qualis facies, et quali digna tabella!
Hoſtis habet muros: cetera tolle tibi.
MyſtaqueCampeſtris, famulo, geminisque caballis
Pergravis, in ſacra ſede moratur adhuc.
Kiſingam memorem? ſpoliata haec Caeſaris armis
Ad ſaccum, et peram tota redacta jacet
Adde, quod appoſitae communia fercula menſae
Criſtato ſtomacho non ſapuiſſe velint.
Vilia ſi dederis plebejo fercula Franco;
Cum patina tales rejicit ille dapes.
Vix capit obtruſi cerealia pocula Zythi.
Fercula quin ſtomachus vix meliora capit.
Nempe Tirolenſis caelato Bacchus in auro
Spumet, et in menſa Phaſidos extet avis;
Ut ſimul et ſtomachum, et poſſit farcire crumenam:
Iſta ſitit nummos; eſurit ille cibos.
Ut pius es, placidamque foves ſub pectore mentem,
Maxime Dux, tantis anchora ſola malis;
Spectares madido fatum tam flebille vultu.
Atque utinam poenae, ſumma ſit iſta meae!

* *Videtur hoc diſtichon inferius interponendum ante verſum:* Ut pius es. *Sed Mſſ. aliter.*

Mille aliae torquent, aliaeqne, aliaeque, nec ullum
Aut numerum, aut porro copia nomen habet.
Reſpiciant, quascunque velint, mea lumina partes,
Undique, quae timeant, arma, viroſque vident.
Omnia ſepta metu; veluti jam, jamque ruentes
Dum deprenſa videt cerva, timetque canes.
Sed quid parva meis exempla timoribus apto?
Haec Ego cum riſu ludicra monſtra putem.
In clades portenta meas majora laborant,
Apta vel aſpectu quemque necare ſuo.
En tibi, qua nuper regnarat Marſpiter aede,
Et ſua magnificis fixerat arma tholis,
Evacuatur opum; diri ſimul horrida belli
Inſtrumenta malis ſunt bona praeda viris.
Hic prius armorum circum genus omne nitebat:
Lumina, quae dederant, aemula ſolis erant.
Caſſis ibi, et galeæ, clypeique umbone minaces,
Splendida de caeſo multa, fariſſa duce.
Laxatique arcus, et inermis theca pharetræ
Pendet, et ad ſubitam promta ſagitta necem.
Corytique leves, lucentia ſpicula ferro,
Et jaculum, et forti miſſilis haſta manu.

Et

Et nocuum telum, Libitina quod eminus infert,
Quaeque tegant corpus, ſcuta polita micant,
Thoraceſque graves auro, et mucronibus enſes
Terrifici, et rutilis criſta ſuperba comis.
Ferrea at hinc acies, bombardae milleminantur
Pondereque ingenti trux catapulta riget.
Inde jacent plenae detriti ſulphuris ollæ,
Bellicaque ignivomis machina farta globis.
Hi tanti armorum cumuli, pretioſa ſupellex
Martis, in auxilium caro coëmpta meum,
Neſcio, quas, plenis transfertur curribus urbes,
Nil, niſi jam muri, ſolaque tecta ſuper.
Sic bona, quae virtus mihi longa paraverat, uno
Omnia fortunae rapta fuere joco.
Adde tot infecti, factique talenta metalli,
Aera Corinthiaco tot liquefacta rogo,
Quae Craſſi potuiſſe ſitim ſedare putares,
Necdum contenta ſors tulit atra manu.
Da veniam, quod ſcribo meas nullo ordine paenas:
Quippe Auguſtae ullum non habet ordo locum.
Quidquid ubique boni eſt, et quidquid amabile ubique eſt,
A noſtris abſunt longius illa plagis.

Venturae congesta famis solatia, panem
Cum modica rabies perdit avara penu.
Annorum, et vitae fenus, pretiumque laboris,
Sudatum nostris Patribus hora rapit.
Quod partum proavis, atavisque potentibus aurum est,
Mille viis norunt quaerere, mille modis.
Mille hodie, cras quinque petunt jam millia nummùm.
Post ternos soles millia dena volunt.
Inde, quater pastor saturos ubi clauserit hoedos,
Millia mox solvi ter sibi dena jubent.
Cacabus, et veteres meliori ex aere lebetes,
Vasaque, quae vili sunt fabricata cupro,
Stanneus imo calix (nam nulla pecunia restat)
Undique ab emuncto cive feruntur heris.
Vix ea solvisti; cum pendere plura juberis:
Sufficit immensam nil satiare sitim.
Dum nummi crescunt, et opum furiosa cupido
Crescit: dum dantur plurima, plura fament.
Sic licet innumeros Nereus Pater ebibat amnes:
Non tamen epotis exsaturatur aquis.
Sic nunquam congesta rogus fomenta recusat,
Quoque data est major copia, plura petit.
Quin ipsas rapiunt rhedas, rapiuntque iugales:
Quisquis nuper eques, cogitur ire pedes.
Ex opibus, gazaque mea tam divite restat
Vix mihi, quo tergam lumina, cento super.

Vinda, Lycusque suos debebant cedere pisces,
Nec videt ulla feras silva, nec arva boves.
Circum trajecto caret alite mobilis aër,
Solaque iam vacuos incolit aura Lares.
Quid? quod et immensi flaventia jugera campi,
Totque iterum patrij culta vireta soli,
Totque iterum turres, tot in altis moenibus aedes
Victoris iussu disperiere simul?
Quodque animus meminisse horret, factumque nepotes
(Postquam etiam fieri vidimus) esse negent:
Quod miserum visu est, quod lamentabile dictu:
Quae plura extulerant secula, valla jacent.
Quae non ulla queat violenti machina belli
Sternere, subjecto diruit igne furor.
Mille fatigabat moles immensa magistros,
Mille operas eadem fabrica, mille fabros.
Undique nunc pyrius suffosso fornice pulvis
Conditur: hic muros vibrat in alta meos.
Nec lacrymis mollitur ahenea dextra; sed ultra
Fasque, nefasque suum Rusticus urget opus.
Haec facies Romae, si vinceret Hanibal urbem;
Haec facies Trojae, cum caperetur, erat.
Felices annos, cum nondum spicula Mavors;
Nondum habuit galeam Diva Minerva suam!

Dotalem tenuit mundum Pax aurea; muros
Neſciit, et firma fortior arce fuit.
Impia qui primus nocuis tulit arma lacertis,
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!
Summe Deus! quae me ſimul infortunia vexant?
Heu! quantis luimus triſtia bella malis!
Quidquid in orbe malum, aut miſerum, aut miſerabile toto,
Aut dirum, aut viſu triſte videtur, adeſt.
Ipſe dolor toto ſedem ſi quaerat in orbe,
Non alium toto malit in orbe locum.
Flebibe perpetuo canitur Miſerere! tenore,
Omnibus auditur longa querela viis?
Undique confuſum, atque habitu miſerabile vulgus,
Quo nihil ipſe, puto, tetrius orbis habet.
Turpis adeſt macies, et ſqualot, et angor, et horror,
Cumque tremore timor, cumque timore tremor.
Et lacrymæ, et gemitus, moeſtoque ululantia planctu
Agmina, et exſangui pallida turba fame:
Et lenta cum tabe febres, et inanis egeſtas,
Et mala, quae nullo viſa fuere locô.
Hos ego nunc comites; hos magna Auguſta clientes,
Hos Stipatores nunc Hera Sueva trahit.

Prô immortales Superi! Mortalia quantus
Caſus agit? Quantas fors habet iſta vices!
Quae fuit agnatas inter Regina ſorores,
Urbis Auguſta, ſuum nil, niſi nomen habet.
Tecta levi cultu, tectisque ſimillima ſordet
Curia, per fumos horrida facta ſuos.
Quaeque prius varios pretioſa aulaea Penates
Ornabant, avida ſunt modo rapta manu.
Sunt modo rapta ſuis monumenta affixa columnis,
Raraque primorum dona relicta Patrum.
Cras ipſos lapides, et moenia, credo, vorabunt,
Scilicet his ſtomachis ſtruthio multus ineſt.
Mille prius ſoliti ad nutus ſervire clientes,
Ante ipſas ſervi mille ſedere fores;
Hanc ſtipare frequens, nec inermis turba ſatelles,
Flexilis ad Dominae ſingula iuſſa ſuae.
Nunc iam ſola ſedet; populo pleniſſima nuper,
Et ſimilis viduae tota relicta dolet.
Finge tibi matrem ſciſſa tunicaque, comaque,
Natorùm flentem funera: talis ego.
Diffugiunt omnes, et verna, cliensque, comesque;
Immemores Dominae verna, cliensque ſuae.
Erubuit ſua probra fames: conſultius illis
Viſum apud ignotos eſuriiſſe fuit.

Im-

Imperij Princeps ſub duro facta tributo eſt;
Nec ſunt, qui modicam polliceantur opem.
Ipſa etiam primo viduata ſacella decore.
Undique dant luctus plurima ſigna ſui.
Nulla laboratos numerant iam templa tapetes:
Rapti ad Franciadum tecta fuere Ducum.
Rarus adeſt, qui ſacra adeat ſollemnia, cultor,
Templaque qui viſat relligioſa, deeſt.
Relligio veterum ſpecioſum nomen in ipſa
Tota ſuperſicie corporis eſſe ſolet.
Vix urbem intrarunt: cum pendere Clericus aurum
Debuit, et tenues fundere largus opes.
Ipſaque, quae ſacras reſonat campana per aedes,
Ingenti pretio mox redimenda fuit.
Nullus in urbe decor: non iam mihi publica ſplendent
Compita, ſed ſordent; angulus omnis olet.
Non, velut ante, ſuis proſtant pretioſa tabernis
Vaſa, nec ante fores fulva metalla nitent.
Plerique aeratis claudunt ſua limina valvis,
Auroque amiſſo ligna tuentur heri.
Dein raucae ſtrident ululato carmine voces,
Confuſoque canunt hoſpita turba ſonô.
Sunt, quibus hic recreet cantus praecordia: nobis
Gallus hic ut cantum caeperit, horror erit.

Mille alias damni ſpecies, et mille recordor
Triſtia: led foliis ſcribi ea mille volunt.
Plura rogare igitur noſtris de rebus omitte:
Aut deerunt aures jam tibi; verba mihi.
Nam ſi plena voles noſtrarum incommoda rerum
Noſcere, erunt oculis tota obeunda tuis.
Longe illis color eſt alius, cum viſa probantur:
Paene nihil formae, dum memorantur, habent
Ergo etiam durae plangunt mea fata plateae?
Maxime Dux, ſaxis durior unus eris?
Vincimus? an necdum precibus tractabile pectus,
Duraque quod ſilicum robora vincat, habes?
Vincimus, ô Lodoix; pugnaces Martis alumnos
Colligis; auxilium ſuppetiasque paras.
Forſan et abſenti ſucclamas: o mea, vive,
Auguſta, et triſtem pectore pone metum.
Vive: feram miſſerae ſolatia protinus urbi.
Vive, tuis adero portus, et aura malis.
Mortua (crede mihi) tamen iſthac voce revivo,
Accelera celerem, Maxime Ductor, opem.
Eſt tibi magnanimûm ſeries generoſa virorum.
Secula Pompejos nulla tulere pares.

Iu-

Iuravi reduces in arena ſtare Gigantes,
Intulerant ipſis qui fera bella Diis.
Pectora non hominum, ſed habent animoſa leonum
Pectora, quos Lybicis rupibus antra tegunt.
Pectora vibratas ignara timere ſagittas,
Neſcia Taurinis vertere terga tubis.
Illis ſemper idem pugnare, ac vincere. Quisquis
Audax invaſit, non niſi victus abit.
Contulit his Pallas clypeum; Bellona ſariſſam:
Scuta dedit Macedo; Mars dedit ipſe ſagum.
Hungaricus tibi reſtat eques, qui, miſſus in hoſtes,
Omnibus exitium, perniciemque feret.
Praecipiti ſedet altus equo: rotat horridus omnes
In partes enſem: quem ferit, ille perit.
Terribili ſtat fronte minax; ſed et horrida mento
Emicat aggeſtis conſita ſilva comis.
Et dubito, num poſſit equus magis aſpera quaevis
Ferre, vel, alipedem qui pede calcat, eques.
Aſſolet ille ſuo tentoria tollere tergo,
Aſſolet in quovis caſtra locare loco.
Incertas tenet ille vias. Mage mobilis omnes
Protheus in formas, ut velit, eſſe nequit.

Om-

Omnibus ille locis volat; omnibus ille timetur;
650. Pronus ubique rapit; fortis ubique ferit.
Ergo veni, Dux magne, veni; miserere tuorum:
Imploro medicam, iam moritura, manum.
Rumpe moras, Lodoice, veni: quam quaero salutem,
Sola mihi tribui te redeunte potest.

EIUSDEM

AXIOMATA

DIVINAE SAPIENTIAE OLIM DATA SALOMONI, REGIO DAVIDIS FILIO; NUNC PARAPHRASI ELEGIACA EXPLICATA.

ARGUMEMTUM.

Nemo Regum fuit unquam, quem dignatione majore complecti visus est regnantium Dominus, quam Salomonem magni Davidis Filium, & in regno Israëlitico Successorem, adeo, ut

 vel

vel in ipso nomine per Prophetam indito, affectus sui Testimonium extare, & Jedidiab, id est, amabilem Domino *vocari voluerit.* (a) *E beneficiis, quibus Principem hunc exornavit, nullum facile luculentius fuit, quam quod per quietem Deus ipsi se stiterit praesentem, atque ex iis, quibus hominum vel avarissima desideria impleri solent, eligendi, quidquid vellet, optionem fecerit.* Sapientiam *gubernandis populis postulanti liberalissime annuit: & non hoc modo donum, ait Dominus, habebis, sed & gloriam, divitiasque, quas tu non postulasti, ultro adjiciam, omniumque retro Regum te florentissimum praestabo. E radiis ergo, quibus hanc Principum gemmam divina illustravit Sapientia, septem eligimus, & Documentorum, seu Axiomatum nomine his versiculis explicamus: numero scilicet Columnis totidem respondente, quibus Sapientia suam aedificasse Domum ab ipsomet Salomone commemoratur.* b)

PRO-

---

*) Haec ex autographo Mülleriano a describentibus retenta sunt, quae praelo sub initium fuisse commendata vix dubito: cum Principi Bavaro, Carolo dein VII. Caesari, dedicata compererim. Sed exemplarium paucitas brevi potuit describendi necessitatem afferre.

a) Vide Calmet in Dict. Hist. verbo Salomon.

b) Sapientia ædificavit sibi Domum; excidit columnas septem. *Proverb. c. 9. v. 1.*

PROLOQUIUM.

Ecce feci tibi ſecundum Sermones tuos, et dedi tibi cor ſapiens, et intelligens.
L. 3. Reg. c. 3.

Illa ego divinae conſors Sapientia mentis,
Per quam, quae fecit, nunc quoque cuncta regit:
Sidera quae proprio ſum juſſa includere gyro,
Atque vagis certas diſpoſuiſſe vias:
Ad tua me, Jeſſee Nepos, nunc limina ſiſto,
Quae prima e votis ſum tibi viſa tribus. a)
Nam neque divitiis tangi, nec honore volebas;
Sed ſapiens cum ſis, id, quod es, eſſe cupis.
Nos dabimus, quod amas. Tua ſit Sapientia, fili!
Hoc qui te vincat nomine, nullus erit.
Intima naturae te per penetralia ducam;
Ingenio pateat terra, polusque tuo.
Hactenus a nullo poſſeſſas accipe claves,
Et jus in mundi limen utrumque cape.

---

a) *Lib. 3. Reg. c. 3.*

Seu te gemmarum pretioſa cubilia, ſive
Juverit aſtriferas mente ſubire plagas:
Sive ſalutares in agris, & montibus herbas
Carpere, & his mortis frangere pila velis:
Seu cava ventorum, gravidae ſeu viſcera terrae,
Seu rimari ipſas, quas mare condit, opes:
Denique quidquid erit, quod ſciri poſſit habebis:
Notitiam fugiet nulla latebra tuam.
Praecipue mentem curis majoribus aptam
Quae faciant, noſtri ſint documenta fori.
Rex es. Quid Reges deceat: quid ſumma Tonantis
A ſibi ſubjectis Regibus Aula velit:
Quas tibi ſervari: populis quas condere leges,
Et qua conveniat ſceptra rotare manu,
Huc oculos, aureſque volens adverte, docebo;
Quaeque docebo, pari ſedulitate cape.
Septenis ſtabunt ſeptem documenta columnis,
Fortunae quae ſint fulcra futura tuae.

AXIOMA.

AXIOMA I.

Religionem ſancte, publice, & magnifice colendam eſſe, monet.

Cave diligenter, ne obliviſcaris Domini -- Illi ſoli ſervies. Deut. c. 6. v. 13.

Relligio, ſincera fides, & avita Parentum
Sacra tuum cingant, conſolidentque Thronum.
Ille ſuos habeat cultus, & regnet in aris
Unicus, Iſacidae quem coluere, Deus.
Cum magno aeternum pepigit qui fedus Abramo
(Non niſi quod tota ſtirpe cadente cadet)
Quem vates cecinere, Pharos quem ſenſerat olim,
Et ſummum, & ſolum, qui fuit, eſſe Deum;
Ranarum qui caſtra trucem domitura Canopum,
Et ciniphum imbelles legit ad arma greges;
Oceani liquidos haerere, ut marmora, fluctus,
Inſuetumque ſuis qui dare juſſit iter:
Cum populis hunc ipſe tuis, hunc pronus adora,
Et quocunque jubet, more, modoque cole.

Res eſt, crede mihi, multis ignota Monarchis,
Collapſa pariter regna labare fide.
Per tibi ſubjectas gentes, per Regna, per Urbes,
Quam tuus eſt, alium non patiere Deum.
Quid mihi cum Belo, dices, turpique Moabo,
Quid mihi cum ſacris, Nile profane, tuis?
Quas male concordes ſejungit opinio mentes,
Non bene concordi federe junget amor.
Nempe ubi diverſis agitantur caerula ventis
Et ferus hinc Boreas inſtat, & inde Notus:
Scinditur in partes claſſis miſeranda, ruuntque
Avulſae in ſyrtes, & vada caeca rates.
Nil jam remigium, vel acus, vel ſidera poſſunt;
Rectori auxilium, conſiliumque deeſt.
Spernere ſi Superum plebs audeat impia ritus,
Regnantum leges ſpernere ludus erit.
Hinc ſacra devotam ut videas in dogmata plebem,
Tu pariter plebi fac videare tuae.
Tu ſacris operare palam: tu publicus eſto.
Quem colis, in media luce colendus erit.
Publica praeſtetur per te reverentia Divis;
Judicio ſtabit vulgus inerme tuo.
Qui ſua cum Superis Princeps commercia tractat,

Credi-

Creditur & Superos inter habere locum.
Sinaeo ut rediit de monte, & Numine Moſes,
Ipſe novum populo jam prope Numen erat.
Majeſtas veneranda Duci tunc creſcere viſa eſt.
Incinctum radiis non fuit ante caput.
Ipſe Parens a) ſacris venerari plauſibus Arcam,
Nec populi erubuit ſupplicis ire comes.
Femina nil potuit, nil ſparſae in compita ſannae:
Femineis major Rex fuit ille probris.
Id quoque ſollicita ſedeat tibi mente repoſtum:
Te digna, & tanto ſint tua ſacra Deo.
Victima ſit dives; multo fluat ara cruore:
Indica magnificis injice thura focis.
Magnos magna decent; & quamvis maxima dones,
Sunt tamen haec magno cuncta minora Deo.
Nec tu, quae Cælo impendis, diſpendia dices;
Quis pudor, hic ſolum ſi ſit avara manus?
Marmoreis homini ſi ſtent ſuffulta columnis
Atria: ſub cedro ſi ſtabulentur equi?
Si gemat Arabico paries curvatus ab auro,
Et fundat Cyprium non niſi gemma merum:
Interea ſilveſtre Deo ſi obtruſeris antrum:
Poſtremumque ſuo ceſſeris orbe locum?

a) *Lib. 2. Reg. c. 6.*

Non ita, mi Salomon! nam te deſignat Olympus
Ad ſummum, quod te praeſide ſurgat, opus.
Te decus hoc, te poſcit honor; tu primā Tonanti
Hoſpitia in terris, templaque prima ſtrues.
Ipſa ego metari ſpatiumque, locumque docebo,
Sufficiam promtas ad tua vota manus.
Sint; & erunt, docta qui poſſint arte metalla
Fundere, & in formas aes animare ſuas.
Mille laborabunt Erythræo in marmore ſcalpra.
Mille itidem ducent mille anaglypta manus.
Decreſcent montes in fundamenta locandi;
Innumeras Libano ſufficiente cedros.
Longa columnarum, denſaeque ſimillima ſilvae
Pompa dabit ſummo fulcra, decusque tholo.
Aurum hic quid memorem, mixtasque per omnia gemmas?
Aut quid Sardonychis, Chryſolithique jubar?
Vix gemmis aliquod pretium ſtatuetur, & auro:
Major ab Ingenio fiet, & arte valor.
Templum auguſtum, ingens, nullisque imitabile ſeclis,
Numinis, & tanti gloria Regis erit.
Ut, quisquis videat: video miracula, dicat;

Nec,

Nec, niſi, quod caelum eſt, pulchrius eſſe putet.
Non tamen immenſo vacuanda aeraria ſumptu,
Aut paria ut non ſint ſumtibus aera, time.
Nempe leges, quas ſpargis opes. Hoc ſemen in auro eſt.
E quo qui ſpargunt plurima, plura metunt.
Crede mihi, melius quam jugera, templa coluntur:
Non ſolet hic ſimplex reddere fenus ager.
Candida pax, & amica quies, & neſcia belli
Otia erunt faſtis annumeranda tuis.
Alta Sion, nunquam quod viderat ante, videbit,
Collectas in ſe ſcilicet Orbis opes.
Divite per populos regnabit copia cornu:
Divitiis arcas obruet illa tuas.
Undipue magnificos etiam gens extera cenſus
Depoſuiſſe tuos ambiet ante pedes.
Non ſatis hoc. Claſſem velis fortuna ſecundis
Ducet ad occiduum, Memnoniumque diem.
Hinc Serum veſtes, opulentae munera gazae,
Et quidquid poterit nobile ferre, feret.
Haud ſecus, ac circum peragratis flumina terris,
In mare collectis prona feruntur aquis.
Hoc reddet Superum pietas; haec dona reponet;
Nec feret, a donis victa fuiſſe tuis.

AXIOMA II.

Hortatur ad Timorem Domini.

Time Deum, et recede a malo. Prov. c. 3. v. 7.

Eſt Deus in caelo, qui rege potentior omni
Regna dat, & repetit, quae modo regua dedit.
Ille ſuum nutu, quo fecit, temperat Orbem,
E digitis pendet machina tota tribus.
Hunc trepidate! & ab hoc mandata capeſſite Reges!
Iſtius debet quilibet eſſe cliens.
Ite, ite, & maleſanorum pro more Gigantum
In ſummum audaces bella movete Deum!
Spernite Caelicolum leges, infringite jura;
Solvite, depoſito, jusque, piumque metu.
Sim mendax, ſi non ſtricto Rhamnuſia ferro
Credibili citius venerit ante fores.
Sunt irae & ſuperis, & ſunt ſua fulmina. Longas
Credite non tantum Regibus eſſe manus.
O quot ego lapſas vidi a cervice coronas,
Quotque videre ſuo tempore fama dabit!

Cum

Cum timor. & legum custos reverentia mentem
Deserit, & se quis numinis instar habet;
Cum dubias movet impietas temeraria gnomas;
Quis tandem, & quantus regnet in orbe Deus?
Cum delictorum stimulus, sensusque minarum,
In cassum, caelo saepe tonante, perit:
Tunc sua tela Deus, tristem factura ruinam
Praeparat. Interitus non procul esse potest.
Curre per historias, Saulisque exempla require:
(Fastorum poterit multa docere fides)
Hunc mecum, Salomon, age, contemplare, decusque
Quam miro tulerit, perdideritque modo!
Quærere solliciti dum vult jumenta parentis,
Culmina Idumaei repperit alta throni.
Res nova: pro petaso sceptrum regale capessit
Ipse stupens: donum Numinis illud erat.
I felix, dantisque manum venerare, tuoque
Pro meritis Domino reddere perge vices.
Sic te lauriferis semper comitabitur armis,
Et junget turmis se Deus ipsi tuis.
Sic tua felices venient in sceptra nepotes,
Stirpsque coronatum longa sequetur avum.
Et dare Cisiadi a) Deus haec, & plura parabat.

a) *Filius Cis.*

Sunt tamen hæc uno cuncta ſepulta die.
Heu mihi! quam tutum non eſt, ſe opponere Caelo!
Quam modico pendent maxima damna pilo!
Involat audaci myſtarum munia dextra,
Nec ſervat ſuperis, quam petiere, fidem;
Juſſus erat praedas, & obeſum corpus Agagi b)
Perdere; & arbitrio parcit utrisque ſuo.
Tantane perſrictum cepit fiducia ſervum?
Sic mea penſatur gratia? Numen ait;
Mancipium, damnas, ſi non tua juſſa ſequatur:
Mancipium neſcis, te magis eſſe meum?
Quos-ego-cunque mori jubeo, moriantur, oportet,
Et quoscunque volo vivere, nolo mori.
Debueras vatis monitus audire, meosque:
Vox ea nam mea vox, non Samuelis erat.
Ungi te regem, myſtam non juſſimus ungi.
Serviat officiis ara profana tuis.
Sit maledicta, tuo cecidit quae victima ferro;
Victima pro ſcelere hoc quae cadat, ipſus eris.
Nunc ſpectet Gelboa, tremens nunc ſpectet Idume,
Me regnatrices ſternere poſſe domos.
Vix ea; cum victor trepidantia caſtra Philiſthes
Occupat. E telis irrita nulla cadunt.

Fit

---

a) *Lib.* 2. *Reg. c.* 15.

Fit fuga; Judaeae fremitus duplicatur, & armis
Arma Philiſthaeis ſe ſuperata vident.
Labitur e manibus ſceptrum, de fronte corona;
Et Rex cum vita perdit utrumque ſua.
Cede Deo, mortale genus! quid fraxinus Euro
Pugnat, & adverſo parva carina ſalo?
Vicino ſi bella moves, hoſtemque laceſſis,
Eſt opus, ut vires experiare tuas.
Magna quidem fortes contemnunt robora ventos:
Magna tamen vento robora fracta cadunt.
Impulſu majore licet quatiatur arundo,
Culmina ſi norit flectere, firma ſtetit.
Veſtra tamen fragili quid diſtat arundine vita,
Quae vos ſecuros funeris eſſe jubet?
Diſtinctum gemmis, Mors dicet, pone galerum;
Nam vel ponendus, vel rapiendus erit.
Quin prohibet cuſtos? Quin dicit Janua clauſa eſt?
Quin rapit arma citus, ſuppetiasque rogat?
An licet in thalamos, & in alta palatia Regum
Ponere, ut in Codri vile mapale, pedem?
Nil miles, nil arma juvant. Inamabilis hoſpes,
Tu licet inclames: cede, recede, venit.
Interea miſeri medias in crimine noctes
Ducitis, & totos absque timore dies.
Tu, Salomon, moneo! dictis attende, Deumque,
Ne tibi ſint quondam plura timenda, time!

AXIOMA III.

Commendat Juſtitiam.

Per me reges regnant, et legum conditores decernunt Juustiam. Prov. c. 8. v. 15.

Ut Sol in caelis & jura, & munera Regis:
Sic Rex in terris munera ſolis habet.
Tunc mihi, quod ſol eſt, merito laudabere, Princeps,
Si te diſpenſes, quo facit ille, modo.
Omnibus eſt aequus: nullo diſcrimine valles,
Summaque felici culmina luce beat.
In pelago gemmas, in montibus educat aurum,
Ingenuosque ſuis frugibus implet agros.
Sed dum vitiferis indulget collibus uvas,
Incultam duris ſentibus implet humum.
Sit labor iſte tuus, ſit laus haec prima laboris,
Reddere Juſtitiae lance cuique ſuum.
Non illa argento, non inclinetur ab auro,
Non moveat flecti neſcia jura favor.
Si male poſſeſſae lacerantur jugera terrae:
Inquirunt dominos ſi vaga jura ſuos:
Ad tua dejectus ſi limina confugit heres,
Vel ſine patre puer, vel ſine dote nurus:

Fixam aciem totis cauſae penetralibus infer,
Nec tibi vel minimus praetereatur apex.
Omnia rimatus, juſtam cum videris urnam,
Dic, quod te ratio Numine fulta jubet.
Ipſa adero, & noſtro Judex celebrabere ductu:
Efficies monitis multa ſtupenda meis.
Tempus erit, geminae cum ſtent pro pignore matres:
Utraque pro dubia lite repoſcet opem,
Haec: meus eſt, dicet; teſtor mea viſcera, dicet
Altera: non tuus eſt, ſed meus iſte puer.
Aſpicies frontem; verae frons aemula matri eſt.
Aſpicies oculos; omnia matris habent.
Hinc amor, hinc livor dubiis rationibus inſtant:
Ille ſibi prolem poſtulat; iſte ſibi.
Lis ita pendebit, dum litem dividat enſis.
Hic partem, dices, praeſtet utrique ſuam.
Tunc demum verae trepidabunt viſcera matris:
Nec partem, totus quam decet, illa volet.
Hic tua per cunctas celebrabit nomina terras:
Fama, nihil majus jam Salomone ferens.
Quantus es interea, tenues ne deſpice pannos,
Ruſtica nec, quando res petit, ora fuge.
Nonne dies ſe ruricolis, ut regibus offert?
An plebi refugas denegat imber aquas?
Janua

Janua pupillo non exoranda gementi
Clauditur: eunuchis atria tota patent.
Fac intrare tuam liceat quoque civibus aulam,
Nec timeat frontem ruſtica turba tuam.
Excipe tractantes miſerorum jura patronos,
Vel, ſi defuerint, ipſe Patronus eris.
Sintque vel haec miſeris ſolatia, poſſe dolere,
Ut lubet, &, domino non prohibente, loqui.
Delectant indultae etiam pereuntibus aures.
Teque bonum hac ſaltem parte fuiſſe, proba.
Cauſae ne redeant, cauſas finire memento!
Turpe, eadem toties ſi tibi tela redit.
Judicium non eſt, quod litem in lite relinquit,
Quodque revolvendae ſemina fraudis habet.
Pullulat infelix lolium, radice relicta,
Germina ſi tulerit non niſi ſumma manus.
At cum Judicii te poſtulat urna cruenti:
Tunc, quid agas, cauta providus arte vide,
Fulminat ipſe Deus, cum res & cauſa requirit,
Et, licet invitas, inſtruit igne manus.
Praevidet ille tamen, quo triſtem deſtinet ictum;
Et cauſam excuſſi fulminis auctor habet.
Altera non revocat pallentes Diphtera Manes;
Hic error nil, quo reſtituatur, habet.

Non

Non caret humanus lingua cruor. Hunc ubi fundi,
  Urna urgente, jubes, adde: *coactus eram.*
Immitte ante alios, & inexorabile ferrum
Sentiat in ſummum perfida lingua Deum.
  Igne, aut vindicibus pereat blasphemia ſaxis:
  Offenſi ſi te Numinis urget amor.
Neſcis, heu! neſcis, quot adhuc ſint fulmina caelo,
  In prope ſecurum dejicienda ſcelus!
Sint ſatis exuſtis quinae cum civibus urbes,
  Sit ſatis immenſis obrutus Orbis aquis.
Laſſata humanis Superum patientia culpis:
  Sit ſua fulminibus, criminibusque quies!
Ne tamen ipſe nimis dura ſub mole labores,
Neve graves monitus eſſe, querare, meos;
  Haud ego te ſolum cunctas evolvere cauſas
  Juſſero: nam cunctis non ſatis unus eris.
Sint, qui praeſideant: ſint, qui decidere poſſint,
  Atque implere tuas, jura ferendo, vices.
Stat fulcris ſubnixa domus; pluresque columnae,
  Unica quod nequeat ſuſtinuiſſe, ferent.
Sed ſiquem cogas, ſanctum tibi coge ſenatum,
  Quem jus, & pietas, ſedulitasque juvet.
Eſſe quod optarem, non eſt quodcunque tribunal.
O quoties melior judice latro fuit!

Iſacidum properate nurus! ſi ſtupra cavere
Vultis, dictantes jura cavete ſenes!
Heu, pietas! heu ſancta fides! ſi ſuſtinet ultor
A ſe damnandum propoſuiſſe ſcelus!
Atque utinam exemplo ſe probrum abſolveret uno!
Tu tamen ex uno plura cavere ſcies.
Nunc nova cura ſubit. Cauſis ſua littora pones;
Atque, ut perfidiam, ſic quoque tolle moram.
Quis pudor, ignavae teſtudinis inſtar, euntes
Ad metam nullo poſſe venire die?
Tempora praetéreunt: ſed poſtquam tranſiit annus:
Vix movit primum lis trutinanda pedem.
Sic fit, ut actoris ſegni ſub judice finem
Vita prius videat, quam bona cauſa, ſuum.
Vulneribus celerem feſtinet cura ſalutem;
Cum putruere, nimis ſera medela venit.
Incrementa capit, creſcitque a tempore morbus.
Dum ſcintilla fuit, poſtulat ignis opem.
Sic malim, dicent miſeri, damnatus abire,
Quam ferre aeternas in mea damna moras.
Hei mihi! qui cauſam non perdit, perdidit aurum,
Ut viciſſe minus, quam cecidiſſe velit.

Tolli-

Tollite legiferi, pretioſas tollite fraudes!
Me mea paupertas, ſed ſine lite, juvat.
Mille dolis nummos emungunt, mille figuris:
Ingenium ad fraudes erudiere ſuum.
His tu judicibus praecide rapacibus ungues:
Atque carere oculis jus, manibusque, doce.
Id cave praeterea, ne te minus ipſe gubernes,
Eximiusque omni vivere lege velis!
In cunctos mihi cuncta licent. Haec ſenſa Tyranno,
Non magno, aut vero principe digna puta.
Non tot ab hoſtili ceciderunt Regna furore,
Quam quot Juſtitia deficiente ruunt.
Subtrahe Juſtitiam; Regnum deſtruxeris omne:
Nam quod erat Regnum, tecta latronis erunt.
Nempe in Praetores alius quoque Praetor habebit
Et Jus, & Summum, ſe moderante, Forum.
Hic trepidi ſtabunt, demiſſa fronte, Monarchae,
Et ſub jus venient Regia Jura novum.

A X I O M A IV.

Inſtillat Amorem & Clementiam in ſubditos.

Roborabitur Clementia Thronus ejus. Prov. c. 20. v. 28.

Rex populo ponat leges, ponique viciſſim
Ipſe ſibi leges Rex ab amore ſinat.
Fac una Rector populi dicare, Paterque.
Felix! officium quisquis utrumque gerit.
Magnanima eſt Virtus Pietas. Ignobile vulgus
Dedecorari odiis, & feritate ſolet.
Utque Dei propria eſt, ſic eſt quoque propria Regum.
Officio, & genio gaudet uterque pari.
Quacunque aſpicies, nihil eſt illuſtrius aſtris:
Nil aſtris pariter ſuavius eſſe poteſt.
Ignibus, at placidis, nullique nocentibus ardent,
Dumque nihil cladis, plurima lucis habent.
Regem apibus natura dedit: ſed ſpicula Regi,
Queis quemquam poſſet laedere, nulla dedit.
Ingenium tibi mite precor, parcamque ſecurim;

Hic majeſtati ſe bene miſcet amor.
Non impune ſcelus, non laeſas crimine leges,
Et quae debueris plectere, ferre volo:
Nec procul amandat meritas Clementia poenas,
Sed poenis ſtatuit, criminibusque modum.
Vindicta, & Pietas geminas habet utraque ſyrtes.
I media, virtus qua ſolet ire, via.
Tu monitis, tu jura minis, tu legibus urge,
Atque his exemplum fortius adde tuum.
Hoc modo non agitur. Miſeris ſuccurrere diſce,
Et cum pauperie, ſi ferat hora, loqui.
Huſſiades a) cum fleute etiam ſe flere coactum
Senſerat, & prope ſe cum moriente mori.
Tanta Virum tenuit pietas. Male convenit, ipſum,
Si membra indoleant, non doluiſſe caput.
Unde thronum miſeri ſi pulſant vota, preceſque,
Fac, aurem inveniant vota, preceſque ſuam.
Regia vix unquam majore potentia plauſu
Digna ſit. Hac demum quaeritur arte favor.
Provida ſubjectas capit indulgentia mentes:
Aſperitas odium, ſaevaque bella parat.
Odimus armatos nunquam non vulturis ungues,
Et Boream, rigidas qui vomit usque nives.

a) *Job.*

Te placidi mores, tumidique modeftia vultus
Nefcia, Regali mixta pudore, decent.
Inveniatque oculis femper fpectator in iftis
Dulcius, ac, quod habet Cynthius ipfe, jubar.
Utque tributa petes, non quae potes, omnia pofces;
Quae metit, haec femen dextra relinquit agro.
Crudelem dices, qui mulferit ubera paftor,
Donec lacte fluat deficiente cruor.
Sub juga, quae novit, fiftit fe fponte juvencus,
Nec, quod ferre poteft, ferre recufat onus.
Tunc pede, tunc cornu pugnat furibundus utroque,
Si metuat majus viribus effe jugum.
Plebs tibi fortunas fervat: tibi colligit auri
Pondera. Rex populo divite dives erit.
Semper habet Princeps, ad quae decet omnia, nummos,
Qui, quod habent cives, femet habere putat.
Spes ubi confumta eft, mala defperatio mentem
Incitat ad quodvis, qua data porta, nefas.
Nil mediocre audet, plebs irritata quod audet:
Infanis offert ultima tela furor.
Inftruit ille dolos, & habentes toxica fuccos,

Con-

Concitat ille viros, inflat & ille tubas.
Murmura prima cave populi, juſtasque querelas.
Saepe habuit triſtem juſta querela ſonum.
Nubibus obductum praemittit murmura Caelum.
Murmure conſumto tela triſulca cadunt.
Plebs furit, ut torrens aucto vehementior imbre,
Nulla funeſtam lege morante viam.
Et ſaxa, & quercus, mixtaeque mapalibus orni
Per ſata, per virides praecipitantur agros.
Intererit, cladi domitura repagula poni,
Quae niſi ſollicitus non bene ponet amor.
Quod metus aedificat, fundo caret. Optet amari,
Non metui, tuto qui cupit eſſe loco.
Valla ſtruant alii; tibi ſint tua moenia cives:
Tutior eſt horum qualibet arce fides.
Pectora non vincit, quae vincit machina muros:
Securum praeſtant haec tibi ſola latus.
Diſſimilem monitis feret aetas proxima noſtris:
Qui cum Rex fuerit, deſinet eſſe Pater.
Serviet immani Judaea oppreſſa Tyranno a)
(Mitior Iſacidis tu quoque Memphis eras!)
Tunc gemitus inter, ſcopulis miſeranda, jacebit,

a) *Roboam L. 3. Reg. c. 12.*

Nec dare plura potens, nec modo plura pati.
Rex novus usque novis onerabit Regna tributis:
Addet ponderibus pondera, flagra flagris.
Ille fuum feritate volet fuperare parentem.
Et gravius fieri, quam fuit ante, jugum.
Hebraeum fi fuftineat tigris Armena fceptrum,
Aura, credo, daret liberiore frui.
Tunc neque fingultus, nec erunt fufpiria preffis
Libera; vel folum plangere crimen erit.
Semper habet triftem violenta potentia finem;
Hic etiam afperitas afpera poma feret.
Quanta Sionaei video difpendia Regni!
Obruet e tribubus moefta ruina decem.
Hac utinam nolis etiam Tu parte notari,
Atque a confiliis degenerare meis!

AXIOMA V.

Neceſſitatem Prudentiae, & modum declarat.

Melior est Sapientia, quam vires; et vir prudens, quam fortis. Sapient. c. 6. v. 1.

Plura cape, o fili! Regno formande paterno,
Et major quovis Rege future puer!
Nunc ego, quod ſummum eſt, te proſpicienda docebo
Fata, & ponderibus quaeque probare ſuis.
Maturam attollat jam nunc Prudentia mentem:
Haec tibi lux certam monſtret ubique viam.
Sunt tibi de magnis promenda oracula rebus,
Et quaſi divino te decet ore loqui;
Sed prius, ac loqueris, praeeat mens provida linguam,
Ne ſint conſiliis verba priora tuis.
Hujus erit virtutis opus, ſtatuenda probare,
Et, poſtquam fuerint rite ſtatuta, ſequi.
Ardua conſiliis Patrum ſi facta carebunt,
Saepius eventu ſunt caritura ſuo.

Nemo, licet faveant, ſolis committere ventis,
Et maris arbitrio ſeque, ratemque ſolet.
Sidera proſpicimus. Monſtrat cynoſura tri-remi,
Quod vel vitetur, vel teneatur, iter.
Non bene per caecas incerti pergimus umbras;
Nil tutum eſt, oculo non praeeunte viam.
Non mihi tam Briareus placeat, quam providus Argus;
Multa poteſt ratio, nil bene ſola manus.
Ne tamen alliciant ipſi ſua damna Monarchae,
Intrepidus coram Rege Senator agat.
O quis Principibus non ſemper amabile *Verum*
Siſtere regales audeat ante fores!
O quis ad aſpectus. atque in penetralia ducat,
Et ſinat alloquio liberiore frui!
Hinc conſultrices indigna compede linguas
Exime, & effari candida vota jube.
Sed procul hinc abſint maculati fraudibus angues,
Et ſolum aſtuta nobilis arte Sinon;
Quique ſua e loculis avidi ſuffragia promunt,
Quique ſinunt odiis ſe, vel amore trahi.
Heu! procul Achitophel fraternae dedecus aulae, a)
Dignaque conſilio lingua perire ſuo.

Vah!

---

a) *Lib. 2. Reg. c. 17.*

Vah! pudor ingenii, fraudumque ſceleſte magiſter,
In Patrem natum qui jubêt ire ſuum!
Jus Patrii confunde thori, nulloque labore,
Patrii (ait) poteris ſcandere jura throni.
Sic & inauditos populus mirabitur auſus,
Et metuent Solymae non tua ſigna ſequi.
Quid refert, ſcelus, an virtus det adire triumphum?
Quod libitum eſt, licitum regibus eſſe, puta.
Regna ubi quaeruntur, jam nulla licentia culpa eſt,
Nec, quod habent alias, crimina nomen habent.
Sic ait, & Juvenem furiis majoribus implens
Jam bis ſena virum millia ductor agit.
Jam fremit, & lauros potius, quam praelia monſtrans:
Nox, ait, haec bellum finiet una meum.
Finiit Achitophel, ſed fune, & funere bellum:
In ſe carnifices occupat ipſe manus.
Hoc ſpectent proceres, qui rident aſtra, tropaeum,
Qui dicunt mentem, ſed ſine mente, ſuam.
Nam vigil in caelo ſupereſt Deus! ille ſceleſtas
Quam non difficili diſſipat arte ſtrophas!
Qui caelo affines confuſo idiomate turres

De-

Deſtruit, infirmos non queat ille dolos?
Saepe ſolent Superi veſtros ſpectare labores,
Inque oculis artes, quas agitatis, habent:
Aulica tunc quoties rident dictamina, & iſto
Res non eſt, ajunt, iſta futura modo.
Vos equidem arcano tractatis mira ſenatu.
Falli decretam poſſe negatis opem:
Ingentes canitis praeſaga mente triumphos,
Et nondum viſo laurus ab hoſte redit:
Regnaque dividitis, populosque, & flumina, & urbes:
Deſtruitis varios, exſtruitisque thronos.
Non ego ſollicitas, vigilesque per omnia curas
Improbo: ſed curis Numen adeſſe volo.
Dia tuis praeſit ſemper Sapientia rebus!
Hac duce conveniet, quidquid agatur, agi.
Hac duce, ſecurum continges navita portum:
Omnis erit velis utilis aura tuis.

AXIOMA VI.

Bella cum Deo, & pro Deo gerenda ſuadet.

Cogitationes conſiliis roborantur; et gubernaculis tractanda ſunt Bella. L. Prov. c. 20. v. 18.

Jamque tubae, lituique ſonant: accingere bellis!
Bella geres; ſed non qualiacunque geres.
Juſta triumphales ratio te cogat ad iras,
Atque reluctantes inſtruat enſe manus.
Stringere tela potes, cum ſtringi tela neceſſe eſt,
Cum Laurus plus quid, quam det Oliva, dabit.
Invidioſa tuos cum turbant agmina fines,
Cumque reportari pax ſine Marte nequit:
Cum lupus exacuit rabidos in ovilia dentes,
Tunc vigiles ducit Paſtor in arva canes.
Quis pudor eſt, campos humano ſanguine tingi,
Et ſuperare ipſas in feritate feras?
Litem ubi de parvo vicinus movit agello,
Aut ubi, quam nemo moverit, ipſe moves?

An tanti est vastare agros, vexilla movere:
Arva cadaveribus, cuncta replere metu?
Nunquam sola tuas impellat gloria turmas:
Nec sola gladios utilitate proba!
Inveterata aliam si fors gangraena salutem
Respuat, & virus proxima membra trahant:
Tum demum a vivo perituras corpore partes
Scindere, & immemorem sanguinis esse licet.
Israel a) adversi cum cerneret agmina fratris,
Et nimium promtas in fera bella manus:
Maluit amplexu, quam stricto occurrere ferro;
Sanguine, quam lacrymis vicerat ille minus.
Si tamen in Superos moveant fera bella Gigantes,
Et superimpositis montibus astra petant;
Si fidei violetur honos, si templa laborent,
Si tibi, Caelitibus qui movet, arma movet:
Tunc animosa fluant patrias vexilla per auras,
Tunc maduisse sacro dextra cruore velit.
Hanc tibi tu propriam sumes, fortissime, causam,
Has reputa partes militis esse tui:
Sacrilegas stravisse acies, idolaque fundo
Aequare, & spoliis exspoliasse Stygem.

Est

a) *Jacob. Gen. c. 33.*

Eſt aliquid, Caelum in terris defendere, & ipſum
Te Duce, ſecurum vivere poſſe Deum!
Materiem quantis praebet bona cauſa trlumphis!
Agminis illa tibi totius inſtar erit.
Nil agit hic numerus, nil flos, roburque juventae;
Iſta juvent alios. te pia cauſa juvet!
Multa poteſt probitas; non cedunt omnia ferro:
Saepe ea cum vicit, miles inermis erat.
Qui Jerichuntinas ſolis clamoribus arces
Disjicit, armatas ſubmovet ille manus.
Nec Gedeon ferro, fragili ſed praelia teſta
Conficit, & modica proſiliente face.
Stant manibus flammae, phialae franguntur inertes,
Et miſer ad ſonitum Madianita fugit.
Quid memoro veſtrae genitorem ſtirpis Abramum?
Quam parva vicit plurima ſaepe manu?
Quatuor ingenti populorum ſyrmate Reges a)
Impediunt campos, pulchra Gomorrha, tuos;
Inſontum ſpoliis fortuna injuſta triumphat,
Et trahit innumeros ad juga dira greges:
Hos inter Loth ipſe gemit: perfertur ad aures
Abra-

---

a) *Gen.* c. 14. v. 14.

Abrami tristis nuntia fama rei.
Surgit, & exiguam cogens ad classica turmam,
Persequitur tantis castra superba globis.
Consistunt utrinque acies: Pars illa trecentos:
Innumeros contra Pars habet ista viros.
Pugna fit: & victi deponunt arma tyranni:
Abram quadruplici victor ab hoste redit.
Omne tulit punctum, votis qui miscuit enses,
Et sua caelestes junxit ad arma manus.
Ipse tibi (meminisse potes) narrare solebat,
Qui fuit heroum gemma, decusque, Pater:
Incircumcisum superavi, Nate, Gigantem, a)
Inque uno fudi millia dena viro:
Pastor ego, juvenisque fui: non tela gerebam:
Ferrea non texit squamma, vel umbo latus:
Sicut eram, funda, saxoque, & Numine fretus
Prodeo in adversum, monstra stupenda, Virum.
Funda vibrat lapidem: Numen determinat ictum:
Cum lapide in frontem mors inopina subit.
Ante pedes jacuere meos immania membra,
Et, quid in his, dixi, quod timeatur, erat?

Sit

a) *L.* 1. *Reg. c.* 17.

Sit Deus in caſtris; Superi tua ſigna ſequantur:
Sacra coronandos roboret Arca Duces.
Supplicibus Moſes votis impugnet Olympum,
Et ferri vacuas tollat ad aſtra manus:
Hunc Amalec metuet; quem ſentit, neſciet hoſtem.
Occulta ex illo vertice tela cadunt.
Jugis ab innocuo carpetur milite laurus;
Non facile e pateris, fornicibusque venit.
Si vitiis non es: nec eris ſuperabilis armis;
E nervo veniunt hoſtica tela tuo.
Sed quid ego documenta tibi Mavortia trado?
Tu, Salomon, poſita caſſide ſume togam.
Te dulces cingent oleae: tibi tempora circum
Aurea fertilibus ſerpet ariſta comis.
Te duce migrabunt omnes in aratra ſariſſae;
Utilius vomer, quod fuit umbo, fiet.
Lacte ſuum Jordan plaudet, non ſanguine littus:
Sit ſatur antiquis caedibus alma Sion.
Non niſi pacifico ſignabis nomine faſtos:
Nullus enim, vinci qui queat, hoſtis erit.

AXIOMA VII.

Moderamen Affectuum, ſeu Paſſionum tradit.

Fili, in vita tua tenta animam tuam: et ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem. Eccleſiaſt. c. 37. v. 30.

Non ſatis eſt populis ſervandas ponere leges;
Ipſemet imperio diſce ſubeſſe tuo.
Victor in affectus animi dominare potentes,
Ne temere excutiant cum ratione jugum.
Mens pelago ſimilis: res utraque plena procellis:
Et ſuus eſt animis, & ſuus aeſtus aquis.
Littora conſtringant moturos aequora fluctus,
Nec, quo vult quivis impetus, ire ſinant.
Si trahat in caecos praeceps audacia caſus:
Si timor infamem monſtret inire fugam:
Si male compoſitis bacchata furoribus ira,
Aut vaga ſpes animum non ſinat eſſe ſuum:
Praecipue dulci tinctas ſi felle ſagittas
Figere in incauto pectore tentet amor:
Tunc Scyllas latrare puta: tunc ora Charybdis,

Tunc tempeſtates, naufragiumque cave.
Utque cavere queas, fortis tunc eſſe memento:
Et clavum, & temet, qua potes, arte rege.
Vidi ego Tyrrheno venientes littore puppes,
Veſte, auro, gemmis, divitiisque graves:
Vincere quas decimae nequiiſſent monſtra procellae,
Infami victas ſuccubuiſſe vado.
Sunt oculi ſcopuli: molles ſunt ſaxa capilli.
Quos Nereus nequiit mergere, nympha poteſt.
His Amnon periit, a) cum non ut frater amavit,
Inque ſuae nimium fronte ſororis erat.
Multa poteſt facies, & amoenae gratia formae;
Caecus amor virus dipſade pejus habet.
Turpe nimis Samſon, quem vincere nulla leonum
Vis queat, infami victus ab arte lupae. b)
Mille Philiſthaeos dextra proſtraverat una,
Obvia mandibulum cum ſibi tela daret.
Unica blanditiis ſed quem modo femina vincit,
Vincere tot dignus non fuit ille viros.
Quisquis erat, reperit qui primus frena domandis
(His ſine quos nemo perdomuiſſet) equis:
Ille triumphalem currum, meritoque perennes

a) *L. 2. Reg. c. 1.*
a) *L. Jud. c. 16.*

A tota laudes posteritate tulit.
Si careat frenis, in aperta pericla trahendus
Cum sessore suo diripietur equus.
Effusum celeri retinere ex impete cursum,
  Aut revocare gradum non nisi frena docent.
Et suus est animis ardor, suus impetus altis
  Mentibus; at freno est, quo modereris, opus.
Bruta juvet rabies: Lybicis Leo rugiat antris:
  In Scythica dentes ilice frangat aper.
Cum Socerum Patris a) malesana agitaret Erynnis,
  Dic, quantum a quavis abfuit ille fera?
Majestas iram exornet. Vel parva monemus;
Parva etiam in magno Principe magna putem.
A tenui ad magnos paulatim assuescimus ausus;
  In minimis victor maximus esse potes.
Si pugil in modica vires exercet arena:
  Certius ingenti sperat ab hoste decus.
Dicitur Alcides teneros jugulasse dracones;
  Horrida tunc aptus sternere monstra fuit.
Ferte citi nova serta! novas componite lauros!
  David Davidis (plaudite) victor adest!
AEstus erat, gravibusque ardens Jesseus in armis: b)

O

a) *Saulem Lib. 1. Reg. c. 18.*
b) *Lib. 2. Reg. c. 23. At ille noluit bibere, sed libavit eam Domino &c.*

O quis Bethleam fert mihi, dixit, aquam!
Fertur; & optatae coram ſtant pocula lymphae:
Hoc poteris calidam ponere fonte ſitim.
Non ita! ſed totum calicem cum fonte ſupinans:
Eſto, ait, haec ſummo lympha ſacrata Deo!
Viderat Omnipotens: & o ingens hoſtia! dixit,
Inferior non eſt ſanguine mille boum!
Tethin qui potuit, poterit quoque vincere Bacchum,
Hac victa, jam non ille timendus erit.
Nam quid habet Regis, qui, cum det jura miniſtris,
Prona cupidinibus det quoque colla ſuis?
Quem frangat luxus, timor obruat, aſperet ira,
Ambitio Dominum non ſinat eſſe ſui;
In ſolio curas humiles qui verſet, & uno,
Quam populus, ſtudeat celſior eſſe loco?
Rex ille eſt, quem ſceptra ſuper juvat, atque coronas
Altius humanis exeruiſſe caput;
Qui vitiis ſubdi ignoret, mentemque pudendo,
Ut poſſit, nolit ſuppoſuiſſe jugo.
Una ſui vera eſt victoria: nulla tropaeis
Dignior, & plauſu tam reſonante cani.

Hunc ipſa inſtituam, caelo plaudente, triumphum,
Ipſa regam propria candida lora manu.
Sublimis curru Victor portaberis aureo,
Quadrijugum aligeros eſſe jubebo vicem:
Exſtinctis primo facibus; fractisque pharetris
Improbus, ac moerens ingredietur Amor.
Non qualis fuerat, petulansque, & criminis audax,
Heroum ſpoliis, vulneribusque ferox;
Sed vultu pallente, manumque revinctus utramque,
Sola, quam ſuevit ponere, fronte patens.
Ira ſubin, rabiesque, exarmatique furores,
Haud ſecus, ac fracto dente, gulaque lupi:
Cumque catenato vitiorum examine, languens
Impetus, & praeceps in genus omne neſas.
Maſcula ſed Virtus, & Pax, & dulce ſerenum,
Atque animi certo federe juncta quies,
Laurigeris cingent victricia tempora ſertis,
Et longe ſupra vulgus ad aſtra vehent:
Dumque vehent, veniet tibi vox, & carmen ad aures:
Par Superis, qui ſe vincere norit, erit.

CONCLUSIO

Hortatur ad Conſtantiam, in amore Sapientiae, & Dei ſervitio.

Sapientiam, et Diſciplinam qui abjicit, infelix est. Sap. c. 3. v. 11.

Portus adeſt! poſitis intramus littora velis;
Navigii tu ſis ipſe corona mei!
Quod monui, ſatis eſt. Hoc fac; & ut anchora navem
Sic animum firment haec documenta tuum
Perpetuam ſervare fidem (ſic annuat aether!)
Et pactum Domino ſis memor usque tuo.
Cum probitate ſuum jungit Sapientia fedus,
Sola ego non maneo: ſola nec illa manet.
Qui volet alterutram procul amandare ſororem,
Hunc fugiet laeſa laeſa ſorore ſoror.
In reprobo neſcit Sapientia corde morari.
Non habitant uno Belus, & Arca throno.
Hei mihi! ſi ſancto deeſſet conſtantia coepto:
Si poſſet meriti fama perire mei!
Si mea conſpicerem dona in tua crimina verti:
Non opus, ut toties expeteremur, erat.

Poſtera ſi primos aetas corrumperet annos,
Ancipiti ſtarent res tua, ſpesque loco.
Munera ſpreta Deus permutat fulmine; vindex
Triſtius, expulſo ſaevit amore, furor.
Non Amalecitas acies, non caſtra Philiſthis
Ut caveas, monitis es ſtimulande meis:
Non Jebuſaeo veniunt diſcrimina campo:
Lucus, & in luco, quod timeatur erit. a)
Vah! pereant ſaturi puerorum caede Molochi,
Et Chami, & Tyriae cultus, & ara Deae! b)
Hos, atque his ſimiles, fabrorum numina, truncos,
Ne pereas, Salomon, ante perire jube.
Monſtra, vel his monſtris fortaſſe nocentius unum
Femineus mentem vertere poſſet amor.
Transverſum a ſanctis ſi quis te legibus actum
Diceret, & Phariis thura dediſſe Diis:
Prae me Sidonias ſi fors ſequerere puellas,
Aut Babyloniaci ſacra profana chori:
Quo data tunc eſſet pretio Sapientia? merces
Iſta magiſterio num foret aequa meo?
Multum blanditiis, exemplis plurima poſſunt.
Sollicitor ſidei multa timere tuae!

Nempe

a) *Ubi Salomon ſubin Idola adoravit.*

b) *Dii ab ipſo adorati, ſuadentibus reginis alienigenis, quas adamavit.*

Nempe queunt fieri, quae nondum facta fuere;
Haec quoque doctrinae pars erit una meae.
Qui primo de fonte fluens argenteus ibat
Rivus, & innocuis arva rigabat aquis:
Poſt, ubi per varias fuerit via facta ſalebras,
Inficitur multo ſaepius unda luto.
O Jordan! cedros inter, viridesque cupreſſos
Dulcis Idumaeum lambere perge ſolum.
Ni facis; alga tuum peregrina coinquinat alveum:
Ipſe tuum perdes nomen, & unda decus.
Hiccine ſit, dicent, venerandae portitor Arcae?
Heu! quantum a curſu diſtat origo tuo!
Qui reſilit coepta, bene quam calcarit, arena,
Turpius, ac qui non tam bene coepit, abit.
Optima ſic videas in vappam vina reſolvi,
Et fieri e putrido dira venena favo.
Fallar! & o noſtris procul abſint omina verbis!
In canum duret mens tibi coepta caput!
Vicimus! & laeto reſonabunt ſidera plauſu,
Si Salomon illo, quo pede coepit, eat.
Ut vitium poenae, meritum ſic dona ſequentur:
Si mihi fidus eris, *Jedidiabus* eris. a)

a) *Amabilis Domino.*

SUSPIRIA MAGDALENAE

ELEGIA ANONYMI.

Ex Homilia decima Origenis de S. Maria Magdalena:

Et ego eum tollam.

Traditum est mihi hoc carmen, si recte memini, Dilingae sub annum 1762 a Clariss. Carolo Christo, ipsimet jam incomperto ejusdem Auctore. Id solum ex scripturae genere, quod hujus nostri seculi initio invaluisse observaram, animadvertere licuit, non multum a Mülleri aevo lucubrationem poni remotam posse. Suummet Auctor ipse Prooemium his verbis praefixit:

Paeana resurgenti â mortuis Servatori Christo accinant alii, et mortis Victori victrices lauros plenis congerant manibus: Ego cantabo lacrymas, sed sollicitas, et ipsi triumphanti Christo inter laetas caelestium aligerorum voces perquam gratas,

Ver-

Verbo dicam, Magdalenae ſuſpiria, animi robur, conſtantiam, mulierem denique non mulierem dabo, quae in quaerendo ſedula, in amando conſtans invenit, quem dilexerat anima eius. Vos Auditores, dum inanibus verbis, et ligato metro accommodatis aures, facundiſſimi Origenis ſenſum percipite animis.

Tertius affuſas ſol mundo eliminat umbras,
Ter cogit nitidos Lucifer ire choros.
Te tamen ô mea lux nondum vidêre reuerſum
Haec, quae continuo lumina fonte madent.
Heu! gemini mihi iêre dies ſine ſole, ſine aſtro!
Et gemini, ô miſeram! iam periêre dies.
Si redit, ajebam, rutili lux tertia Phoebi,
Si revehunt nitidi lampada ſolis equi:
Si rurſum Eois oriuntur ſidera terris,
Quae prius Heſperiis occubuêre fretis:
Tu quid cunctaris, mea lux, mihi rurſus oriri,
Et mea languentis vota beare redux?
Sic itidem vano mens omine nixa, caduco
Ludit in eventu. Quid niſi vota ſequor?

Sed ſequor errantem comes errabunda ſalutem,
Si non illa gravi marmore preſſa jacet.
Sed jacet ah rigido mea vita, ſalusque ſepulchro,
Et multus circum ponitur oſſa vigil.
Huc propero tacito numerans veſtigia greſſu,
Aſſuſura tuis balſama, Chriſte, genis.
Ibo balſameis immergam viſcera ſuccis,
Ibo parentali ſolvere juſta ſacro.
Sed video ſaxo monumenta patere recluſo,
Lintea non uno ſparſa jacere loco.
Inſpicio marmor: ſub marmore nullus Ieſus:
Rimor hiante ſpecum lumine, nullus adeſt.
Indoleo geminoque cadit mihi lacryma fonte,
Lacryma continuas currere ſueta vias.
Sic tulit, ajebam, mihi te mors invida totum,
Ut neque pars maneat corporis illa ſuper?
Non erat ergo ſatis vitam abripuiſſe virentem,
Ni quoque ſint vitae tegmina rapta tuae?
Vix ea finieram: ſubita mihi luce ſepulchri
Collucere locus (Res nova!) viſus erat.
Iamque meum occaſu Phaebum rediiſſe putabam,
Atque parum abfuit, ut vociferarer, ave.
Sed juvenes fuerant, binis quibus ora micabant
Solibus, et veſtis vicerat alba nivem.

Au-

Aurea mordebat tinctam nive ſibula pallam,
Qualis ad excurſus pingitur ales amor.
Hi ſimul ajebant, quem Magdalis anxia quae-
ris?
Quid tam ſollicitis fletibus ora madent?
Cur â puluerea mel ſperas Magdalis urnâ?
Num ſudant liquidum marmora dura favum?
Scilicet exſpectas ſaxoſo â mortis aſylo
Vitam? an cum leto vita habitare poteſt?
Mitte graves curas, ô Magdali, mitte querelas!
Quid luges? vivit ſpes tua, vivit amor.
Attonito ſimilis ſteteram, ut Trinacria rupes:
At vigor, et ſenſus ut rediêre mihi;
Heu mihi! dicebam, Domini quoque corpus
ademtum:
Nec ſcio, quo fuerint membra repoſta loco.
Vosque per has ego (quae magni mihi pon-
deris inſtar)
Adjuro lacrymas; quo mea vita ſpecu?
Dicite quaerenti, ſi vos hinc forte tuliſtis,
Aut aliâ corpus compoſuiſtis humo?
Dicite: tam celeri properabo currere curſu,
Et ſacra de dicto tollere membra loco.
Saxa per aſpra, rudesque ruam violenta ſale-
bras,
Qua dolor aeger agit, qua rapit orbus
amor.
Seu rapidus Cedron, ſeu flumina, ſive aequo-
ra condant:
Audebo mediis tollere corpus aquis.
Quae-

Quaeram fluminibus, quaeramque in vallibus imis,
Quaeram ſollicitis neſcia ſtare petris.
Quaeram ſpelaeis, quaeram circumvaga ſilvis,
Et quaeram ſtabulis, vimineisque caſis.
Nec mihi ſuſpectae fraudem ſtruet umbra latebrae
Ulla, nec ullus ager, qui male fallet, erit.
Nec male ſecurae fallet nox ulla cavernae,
Ulla nec ignoto ludet arena ſolo.
Si foret ardenti poſitum in fornace cadaver,
Vreret aut Siculis impia flamma rogis.
Non ego flammantes quidquam averſata caminos,
Perrumpam in medios, igne fremente, focos.
Intrepidi calcare pedes incendia nôrunt,
Si latitans animo fortior ignis agit.
O quoties medios amor urſit currere in ignes,
Cui facere ulla moram flamma vel unda nequit.
Si jaceat Lybicas inter, mea vita leaenas,
Oſſaque ſi ſervent tigris, et urſa vigil.
Urſis, et tigribus, ſimul et blandita leaenis,
Tentabo rapidis ſubtrahere oſſa feris.
Aut ſi forte truces mea blandimenta recuſent,
Iratas vincet fortior ira feras.
Ieſſiades urſae ut rapuit quondam unguibus agnum;
Ut tulit avulſo dente leonis ouem:

Sic ego cunctantes corpus mihi reddere tigres
Admotâ vellem cogere promta manu.
Mille lupos peterem, ſaevas et mille leaenas,
Ut vitae referam mortis ab ungue Ducem.
Audebo majus facinus, quin Hercule dignum:
Heſperios tandem reſtat adire thymos.
Si flores inter cubat, interque aurea poma,
Suſtollam inde meas, ceu draco ſervet, opes.
Inde gradum relegam, Solymaeaque moenia poſcam,
Iratasque Ducum transvolitabo domos.
Forſitan Hebraei ſi principis atria ſervent,
Aut ancilla domi membra repoſta tegat.
Atria quae Petro monimenta perennia luctus,
Ignis ubi tanti cauſa doloris erat.
Principis inſidos perumpam invicta Penates:
Ferrea concutiens oſtia pandet amor.
Denique ſi rabidâ ſervus fera tigride pejor;
Si vigil, aut legis turba perita ſacrae;
Si Caiphas, Annasque ſenex, ſi Praetor iniquus,
Qui nobis Latiâ miſſus ab urbe fuit.
Si Scribae, ſi tota cohors Phariſaica, multum
Invida Chriſte tibi, multum, inimica tibi;
Nil cunctata per hos ruerem, rueremque per illos,
Et raperem lacrymis quem tot abeſſe gemo.

Si-

Si terebrata tegant haſtatae membra phalanges,
Martius et multo ſepiat enſe globus:
Perrumpam medias Martis fremebunda phalangas,
Vindiciasque pias vindice Marte ſequar.
Nil moror, infeſtis ſubeunda pericula telis,
Quasque fremit ſaevas Martia turba minas.
Eſt et femineo ſub pectore maſcula virtus;
Eſt Mars, femineâ qui vibret arma manu.
Quidquid erit, juvat ire per omnia tela, per ignes,
Bella ciente ſolo, bella ciente mari.
Hâc ego feminea coniuro in praelia dextra,
Eripiam vitam Marte, dolove meam.
Et corpus Domini (faveant modo Numina coeptis)
Tollam: geſtabit femina membra Viri.
Ad notos reveham ſpolium praeluſtre Penates,
Si pes labetur deficietque manus,
Tollam humeris; tollam ter amabile pondus Ieſum
Si tamen eſt pondus, quod leve reddit amor.
Dulce parentis onus quis ferre retractet amantûm,
Ieſſaeique ſacras germinis exuvias?

De-

Denique ſuccumbam: ſubmittet Martha quadrigam,
Bethanioque feret membra cruenta ſolo.
Dilecto conjuncta, ſacri pars ibo triumphi,
Feſtus et ipſa mihi laeta triumphus ero.
Certabuntque mei perfundere floribus artus
Bethanides; viridi et ſternere fronde vias.
Deque triumphali ſpolium tam nobile curru
Lazarus expanſis excipiet manibus.
Includam lignis ebenis, auro, atque pyropis.
Corpus, id aeternum pignus amoris erit.
Iam ſatur et vitae incumbam moritura Magiſtro:
Par cui vita ſtetit, par necis urna teget.

Cecini.

F AU-

PIA AUSTRIAE DESIDERIA.

AUCTORE ANONYMO

Carmen hoc intellexi Oeniponte olim factum, quod Ill. D. Casparus Comes de Trapp sub an. 1780 mecum communicavit. Videtur autem Elegia ibidem lucubrata sub initium anni 1739, nondum amisso Tauruno, sive Belgrado, cum perspicaci ingenio homines jam multa tum instantia veluti primis etiamdum indiciis odorarentur. Confer Theodori Bergeri Tabulas Synchronisticas Historiae Universalis edit. German. Coburgi, et Lipsiae Typis Alli 1781.

Alme Puer, Magno Soboles aequaeva Parenti,
Unica spes, votis unica meta meis!
Alme Puer, magnum humani gregis incrementum,
De Genitrice Puer, de Genitore Deus.

Percipe, quae triſti fundo ſuſpiria corde,
 Accipe flammato tela vibrata ſinu.
Sed, rogo, propitiis mea percipe vota labellis,
 Et vultu formae conveniente tuae.
Heu! noſtras equidem dolor abſorbere querelas
 Nititur, et Samia Lege tacere jubet.
At ſcelus eſt, ulcus celaſſe Machaona, plagis
 Qui celerem norit ferre miſertus opem.
Ergo ratum eſt Medico noſtros exponere morbos:
 Laxabo votis omnia frena meis.
Mille alii cruciant, aliique, aliique dolores,
 Atque gravant noſtrum mille pericla caput.
Heu mihi! quis numerus, cum dixero millia centum,
 Millia plus centum ſunt referenda mihi.
Non tot gemmato palantes aethere ſtellas,
 Non tot Erythraeo littore puncta legas:
Quot mala, quot duros fert Auſtria preſſa labores,
 Auſtria (ni prohibes) tot ruitura malis.
Undique bella fremunt: flagrans diſcordia caedem,
 Arma, ait, arma citi, bella parate, Viri.
Heu me! quot video glomerari examina Martis,
 Omnis in interitum turba parata meum:

Quique diu latuit, tandem bacchabitur ignis,
Me miseram! Austriacos impliciturus agros.
Quid? quod furtivo succendant bella metallo
Urbes Imperii? Sic nova suada docet.
O Superi! (iusto desunt sua verba dolori)
Quis novus in clades apparat arma furor?
Hei mihi! quid video? quid non, furor impie, tentas?
Factus in interitum prodigus usque meum!
Pro tristem rerum faciem! quae bella parantur,
Bella in Caesaream detonitura domum!
Ista movent Reges (pudet ah pudet edere nomen)
Bella equidem veri vix habitura fidem.
Hesperiis ardet Mars implacabilis oris,
Gesturus Latio bella nefando solo.
Si bene conjicio, Martis desaeviet ardor
Impius in terras, Thuscia Magna, tuas.
Nescio quem Carolum Latiis intrudere sceptris
Gens inimica iubet, classis Ibera parat.
Inclyta Laedeas cave sis Florentia fraudes,
Hosti ne nimium florida praeda cadas.
Tuque, Pade, attendas, hausto ne sanguine fias
Ebrius, atque undas sic sine lege trahas.
O utinam, Superi! versis ad prospera fatis,
Fallerer, excepto passa timore nihil!
Atque vtinam vanae fiant sine viribus irae!
Quam mallem vireat Pacis Oliva mihi!

Tu potes, Alme Puer, potes almam reddere pacem:
Tu potes extinctam restituisse puer!
Tu potes iratas Regum componere mentes;
Nam sunt in manibus Regia corda tuis.
Tu potes: o facias! meque his absolve periclis:
Si iubeas etiam ventus, et unda silent.
Vana peto; precibusque meis illudere gaudent
Hellespontiaco classica dira freto.
Qualia, pro Superi! tumidis carchesia velis
Bella vehunt: remi vix grave pondus agunt.
Innumeris pallent Athamanthidos aequora Lunis,
Remorumque Thetis verbere caesa gemit.
Fama equidem Melitam truculentis destinat iris:
Sicana, sed vereor, ne petat arva furor.
Ne, vereor (tantum hoc Superi prohibete!) petatur
Laureti Thracio Laurus opima lupo.
Impie, verte ratem; dabis hic, dabis impie poenas,
Numinis haec domus est: Impie, verte ratem.

Hic Magnae Sedes Dominae, cui cornua Lunae
Sub pedibus recubant: Perfide, verte ratem.
Sed licet Odryſios domus haec procul arceat hoſtes
Piceno: immunis non mea terra manet?
Num minus in Siculas rabies graſſabitur oras?
Campanosque minus num furor uret agros?
Omnia nam metuo: vix non et tuta videmus,
In pejus ſubita praecipitare rota.
Trinacris heu! miſerae nimium vicina Valetae,
Biſtonio remanes flenda rapina cani.
O dolor! haud vanis mens fluctuat anxia curis
Siciliaeque meae, Parthenopisque meae.
Quin etiam Sanctae Tarpeia Culmina Romae
Infelix eadem ſortis imago manet.
Heu mihi! quid dico? ſtringet ſane impius arma,
Mars Geticus; ferro pectora ſacra pe[illegible]
Siqua fides famae, multas, ait iſta, phalanges
Stare in perniciem, Servia chara, tuam.
Bellgradum, Auſtriaco fatalia Pergama Marti,
Bellgradum Hunniaco Scylla timenda ſago.
Haec ne faedifragis cingantur Pergama ſignis,
Ne, vereor, Thracio Marte ſubacta cadant.
Quae

Quaeque gradum Getici deberent ſiſtere belli,
Ne, metuo, tacita fraude, dolove ruant.
Heu quantis urbs una cadet comitata ruinis!
Quot ſecum ſtrages, funera quotve trahet!
Servia tota cadet, tanto ſudata labore
Servia, quae noſtrum fert modo laeta jugum.
Pannoniaeque cadent urbes, pretioſa cruoris
Praemia, quae Teuto ſanguine parta tulit.
His neque contentus ſpoliis graſſabitur ignis
Martius: Auſtriacos urere perget agros.
Sicque ego millenis circumdabor una periclis,
Auſtria millenis ſuccubitura malis.
Hoſtis Iberus adeſt; Mahometus, Pruſſicus hoſtis,
Nomina ſunt ipſo paene timenda ſono.
Heu! tria diverſo ſurgunt mihi climate bella,
Aptaque ſum cauſis una perire tribus.
Quid ſi liliger cantet quoque claſſica Mavors,
Et ſua cognato conglobet arma ſago?
Sic certe praeſaga mali mens nocte, dieque
Somniat, atque utinam ſomnia vana forent!
Gallia firma quidem ſancivit federa pacis;
Gallia ſed quoties federa firma ſcidit?
O quoties fictis iuraſti Gallia verbis!
Mentitus quoties pace coivit amor!
Ante ſuos retro, dixiſti, Sequana fontes
Volvet, quam pactus federe nutet amor.

Sequana verte tuas, retro trahe Sequana lymphas!
Iuratam fallit Gallia ſaepe fidem.
Gallia ſume roſas, hae ſint inſignia poſthac;
Nam tibi conveniunt: Gallia, ſume roſas.
Lilia quid toties infuſcas imbre cruoris;
Queis color eſt pacis? Gallia ſume roſas.
Quis modo, quis Superi! Nutantem fulciet Atlas?
Quis mihi nunc tendat rebus in hiſce manum?
Spes equidem pacis (ſed adhuc mea meſſis in herba eſt)
Me miſeram lactat: pax ferienda mihi eſt.
Pax ferienda mihi eſt! Ipſe Amphitryonius Heros
Cum multis renuit conſeruiſſe manus.
Conveniunt, fateor, Camaraci federa Regum
Sancturi Proceres: at mora longa fluit.
Ah! mora longa fluit, dum partu recreor iſto.
Et vereor longis creſcere damna moris.
Te, Puer Alme, modo, Te, Princeps auree Pacis,
Nunc mea vota petunt, ſint rata vota tibi!
Eſt tibi gratus amor: coniunctas federe mentes
(Nempe tui ſimiles) Doctor amoris amas.
Libera fac pacis modo ducant otia gentes,
Et vireat iuſſu pacis oliva tuo.

Tunc genitrix una rerum concordia ſurget,
Quae pacem, et niveae federa pacis alit.
Pax doceat Pruſſum furias odiſſe feroces,
Pax doceat capiti membra favere ſuo.
Claſſis Ibera, iube, Gadibus ſua littora radat;
Vel ſua barbaricis inferat arma plagis.
Algerium, Superis exoſa, exoſaque terris
Emporia, Heſperio Marte ſubacta ruant.
Ponere belligerum iubeas fera bella Garumnam:
Dic, potius doctis Sequana ludat aquis.
Bellica Biſtoniae contundito cornua Lunae,
Et Thracius nullo Phoſphorus aere ſonet.
Ocyus o jubeas Camaracum gignat olivam,
Innumerisque meum cor levet iſta malis,
Ne vanas patiare preces, Puer auree, paſſas.
Supplice dum coelo poplite tendo manus.
Supplicat ecce tuis lacrymabilis Auſtria cunis;
Ad tantas durus num potes eſſe preces?
Supplicat Auſtriacis una gens ſubdita Sceptris:
Ad tantas durus num potes eſſe preces?
Supplicat una omnis mecum conterminus orbis:
Ad tantas durus num potes eſſe preces?
Supplicat ipſe aether, Caeleſtia Nomina, Divi:
Ad tantas durus num potes eſſe preces?
Iuſta peto: tu iuſta neges? renuasque rogatam
Ferre manum, precibus ferreus uſque meis?

Haec tua forma negat te pectoris eſſe ſeveri,
Dirigat haec aures ad mea vota tuas!
Ne vanas patiare preces, Puer unica votis
Meta meis, vanas ne patiare preces!
Exorere, exorere, o pacis laetabile Sidus!
Ocyus exorere, o ocyus exorere!

Cecini.

GERMANIA HUNGARIAE SALUTEM!

CARMEN ANONYMI TEUTONIS AD MODUM EPISTOLAE,

Propter Germanicam Nationem in Hungaria ad officiorum ſpartas non admittendam.

Impertiit hanc mihi quondam Elegiam Amicus in paucis bene de me promeritus; qui tamen et ipſe, perinde uti Auctor carminis, haberi Anonymus tum voluit. Num eandem etiamnum retineat ce-

lan-

landi ſui voluntatem, dum in ambiguo eſt relinquendum, nolim facere offenſae periculum. Ac ſatis quidem ſevere jam antiquiores Hungariae leges, eaeque ſaepius inſtauratae, huic rei (apud ceteros utique populos ſubinvidioſae) cautum ibant, nequis eſſet ad officia civilia, nedum ad honores exteris in Hungaria gradus. At rerum nexibus ſenſim interea vehementer commutatis, ut non jam ſemper ſaluti ſit, quod futurum erat antea, haec quoque, quae olim fuerat, odioſi apud alias gentes exempli querimonia plurimum lenita eſt; quando et Germanorum plurimi aut municipatu ſunt jam pridem ibi potiti, aut certe non paucis in urbibus donati civitate, aut ad officia in reip. commodum deſtinati regia, vario nomine haud ingratiis admittuntur: ut iam elegia iſthaec ponderis, aut invidiae pluſculum apud rerum gnaros, et Humanitatis Hungaricae hodiernae conſcios habere non poſſit.

Pannonidum ſalve fortunatiſſima Nutrix,
Cui cunas oriens, imperiumque dedit.

Fida

Fida ſalutiferum tibi ſcribit Alumna libellum.
Hunc lege, germani ſiquid amoris habes.
Fallor, an extinxit veteranus rancor amorem,
Et ſtimulat vindex pectoris ima furor?
An mihi te fortuna rapit, vel longior ordo
Temporis exoſam te facit eſſe mei?
Nempe cruorivoro ſuccinctus acinace livor
In mea ſepoſito viſcera jure furit.
Audio namque tuo cogi mea pignora regno,
Eſſe vel officiis deſtituenda ſuis.
Quae rabies animi, qualis mutatio rerum?
Quis te praecipitem turbo furoris agit?
Haec hoſtes decreta decent: ſic plectitur auſum
Fedifraga populi ſeditione nefas.
Sed quo te vitio, quo te mea Natio laeſit
Crimine? Quid Nemeſis, quod populetur, habet?
Fors meruit cenſeri hoſtis, quod nomen amicae;
Sed munus famulae te comitantis habet?
Fors meruit culpam, ſtuduit quod nocte, diuque
Et regno, et regi fructificare tuo?

Fors peccat, quod amet, meruit vel perfida dici,
Quod pia Germanam ſervet aduſque fidem?
Haec decori ſunt nempe meo, dum Pannonis ora
Stabit; donec erunt ſidera, terra, mare.
Germanae fidei, nunquam peritura, vigebit
Fama, perennabit gloria, ſtabit honos.
Redde mihi pretium, quod me tua conſtitit aetas:
Deſpiciam Patriae tecta, domosque tuae.
Redde mihi natos, quos pro te barbarus hauſit
Enſis: et Hungaricas laeta migrabo plagas.
Scilicet iſta tui, quae jactas, rudera regni
Sunt ex Germanis ſtructa cadaveribus.
Collige relliquias, Heroumque oſſa meorum
Cervices, coſtas, brachia, crura, pedes.
Pannonicae laudis monumenta perennia Marte
Aeternam poterant murificare domum.
Tot pro te ſubiere necem mea pignora! teſtis
Plurima profuſi ſanguinis unda rubet.
Si dubitas, primae repetas cunabula fortis:
Nonne tuus noſtro funere coepit honos?
In partes abiere tuas mea Natio Gothi:
Iuverunt ſocia Scythica coepta manu.
Annuerat coeptis fortuna: tibique, ſibique
Communem regni conſtituere plagam.

Cetera vix auſit calamus memorare, paraſti
Quae tibi Germanae complicitate manus.
Clara ſago, ſed opaca toga gens Hungara quondam
Multa quidem poterat Marte ſed arte nihil.
Expoliit cognata rudem Germania: ſed nunc
Praemia noſter amor probra laboris habet.
Quod potuit tribuiſſe, dedit mea natio: reddis
Ingratas odio tu ſtimulante vices.
Saeva quidem jaciunt alienae ſpicula dextrae:
Sed magis, agnatus quam jacit, haſta dolet.
An neſcis? Sed ſcis heu! me tibi ſanguine jungi,
Noſtraque gens genti quod ſit amica tuae.
Nos patriae leges, nos legum pacta, fidesque,
Nos conſanguineo federe jungit Hymen.
Hungara Germanis nubit, Germana viciſſim
Prolificat conjux, Hungare, caſta tibi.
Quaere, nec invenies inter tua ſtemmata ſtirpem,
Quae non Germano ſemine mixta foret.
Hinc quoties in me, ſimul in tua viſcera ſaevis:
Te vitias; quoties ſum vitioſa tibi.
Ergo ceſſet atrox odium, depone furorem,
Et mihi ſi non vis parcere, parce tibi.

Suſpendant inſana tuae jam jurgia lites,
Nec rixae ſtrepitu turbidiore crepent.
Diverſae pecudes prato paſcuntur eodem:
Omnes ex uno ſaepius amne bibunt.
Aſſueſcit tigridique leo, tigrisque leoni;
Et ſtabulant uno lynxque, lupusque loco.
Mitior an pecudum natura eſt lynce, lupove,
Tigride pejores, anve leone ſumus?
Noſtri ſe Manes tumulo patiuntur eodem.
Heu vivos homines quanta tyrannis agit!
Tu mihi tecta negas per me fabricata, focosque.
Heu tua gens gentem nauſeat usque meam.
Sat Graecos toleras, Hebraeaque ſtemmata nutris,
Et praebes Turcis pro dolor! ipſa ſinum.
Solos a patriis Germanos finibus arces,
Privandos ſpartis dum cupis eſſe ſuis.
Haec dum ſcribo, novus rumor vulgatur in urbe,
Quod jam Rex votis annuat ipſa tuis.
Annuit. Eſt mater tibi Rex Auguſta. Sed eheu
Incipit haec natis eſſe noverca ſuis.
Annuit: Hungaricis Germani cogimur oris:
Iam digito rabies indice monſtrat iter.
Iam riſus ſtolidi ſumus, atque calumnia vulgi,
Poſthac dum nobis munia nulla patent.

Ergo

Ergo macte animis, Pubes Germana, juberis
Dum tandem spartas linquere, linque plagas.
At vos Pannoniae populi, gens torva, nimisque
In Germanorum natio dura genus,
Par alibi sentite malum, Germanaque vobis
Deneget officium quaeque marita suum.
Nos natos mundo, ponto, caelisque regendis
Excipiet prono quaelibet ora sinu.
Hungara terra vale! Tibi tot servivimus annos.
Pro parto ferimus munere grande nihil.

Posonii sub generali Regni Diaeta anni 1741 die 10ma Junii.

JOANNIS BAPT. SEIDELII
EXERCITATIONES ELEGIACAE.

Amoenissimo ingenio Virum, atque facillimo nosse coeperam sub annum 1754 Landspergae, cum ibi valetudinem curabat: qui sexennio circiter antea hasce exercitationes elegiacas ad discipulorum maxime ingenia contulit, quando isti brevioribus sententiis ornandis pares non nisi sensim demum ad argumenta queant ampliora accedere. Itaque et hujus generis exstare quaedam isthic exempla admodum selecta non ab re erit. Ego certe, ubi ad rem poëticam meos instituebam, iisdem usus sum plurimum; meismet perraro. Postmodum, ubi Viri Clarissimi major mihi copia Ingolstadii fuit, jam ille his longe relictis, exercitationibus potissimum theatralibus in famam ire coepit.

Pegasus alatus, ut fingitur, docet, quanta sit gloria Poetarum.

Divine o salve mihi Pegase, gloria vatum!
Salve, o Pierii fama, decusque jugi!

 Nu-

Nubila praecipiti ſuperas tu concita lapſu,
Tuta per aequoreas te vehit ala vias.
Seu placet Eoi primordia viſere ſolis;
Regna levi penna tu Nabathaea petis.
Ultimus Heſperii ſeu te vocat angulus orbis;
Ilicet extremi te videt ora Tagi.
Immenſo quamvis ſpatio tibi ſidera diſtent,
Sidera tu ſequeris celſa, ſubisque polum.
Ereptos vulgo levat inter ſidera vates
Gloria, quae nullo eſt emoritura die.
Orbem pervolitat totum divina Poëſis,
Et famae memoris laude perennis erit.

* * *

Mors nulli Hominum generi parcit.

Non mitras, faſcesque timet, non militis iras:
Calcat honoratas mors violenta togas.
Spernit fumoſas, majorum munera, ceras:
Atque pari Croeſum falce, Codrumque metit.
Abducit; ſeu quis vigeat, ſeu frigeat annis:
Nil juvat in teneris purpura, nixque genis;
Nil adamantaeo ſolidati cardine poſtes;
Nil juvat e pario marmore ſtructa domus.

Cuncta quatit, quae clauſa putes; penetralia Regum
Mox ſubit, et Reges ponere ſceptra jubet.
Non illam auguſtae majeſtas Principis unquam
Terruit, aut criſpis aulica turba comis.
Non illam torvi flexere ſatellitis ora,
Non formidandae depulit haſta manus.
Quem petit illa, perit; quam vibrat, certa ſagitta eſt;
Nulla facit dubiam curaque, frausque manum.
At ſi quem ſumma perſtrinxit cuſpide, vulnus
Ad ſtygias certo limite ducit aquas.
Ah! quoties duras mater domitura Sorores,
Flens rogat Aſcanio ſtamina longa ſuo!
Plurima cum lacrymis vultum ſuffuſa precatur,
Poſſit ut in lacrymas flectere fata ſuas.
En! ſubito tetricae diſcerpunt fila Sorores,
Heu! nimis ad tantas numina ſurda preces!
Dicitur Iſmarius Vates Plutona vel ipſum,
Tergeminumque lyra perdomuiſſe canem.
Sed quae Tartarei furias compeſcere Ditis,
Non potuit rigidas flectere chorda Deas.
Et quoties ratibus tumidi maris ira pepercit,
Aequoreum nauta ſaepe vocante Deum!
Ipſe Pater Divum piger eſt ad fulmina, quando,
Qui reus eſt, ſaltem ſe dolet eſſe reum.
Omnia cum precibus flectantur Numina, ſolis
Parcarum redeunt irrita vota focis.

* * *

Otii damna.

Dicite, quid Priami vaſtavit moenia, quando
Mulciber Iliacas hauſit avarus opes?
Otia fatalem duxere ad tecta Gradivum;
Funeſtas Danais illa dedere faces.
Stares, floreres, nec iam cum civibus imbre
Sulphureo buſtum triſte, Gomorrha, fores;
Ni Superum oblitos feciſſent otia cives,
Otia plectendi ſemina prima mali.
Scilicet impuro ſordebit denique caeno,
Quae jacet immoto languida lympha ſitu.
Et ſiqua eſt variis non acta laboribus aetas,
Protinus in vetitum pullulat illa nefas.

* * *

Calamitas nulla perpetua eſt.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Alternaque venit noxque, diesque vice.
Non ſemper timidis Euxinum fluctibus aequor
Fervet, et effuſis ſunt ſua frena Notis.
Non ſemper glacies tua durat, Olympe, nec atrox
Perpetuo feſſos grando flagellat agros.

Et

Non rapidi ſemper pugnant Aquilonibus Auſtri,
Et ſua poſt luctas otia quercus habet.

* * *

Parva non ſunt contemnenda.

Parva tibi neglecta nocent: ſunt maxima ſaepe,
Quae naſci ex parvo ſemine damna ſolent.
Aſpicis vt mediis cedrus caput inſerat aſtris,
Deſpiciatque tuas, Eure proterve, minas:
At ſi primaevum genus, et cunabula quaeris,
Pygmaeos inter pars fuit illa rubos
Ut furat effractis late Vulcanus habenis,
Unica (quis credet) ſaepe favilla facit.
Qui vehit impoſitas ſpatioſo tergore puppes,
Rheni principium ſi peto, rivus erat.
Danubius Scythicas ſeptemplex permeat oras,
Qui primo exiguis alveus ibat aquis.
Prima quidem, memini, naſcentis moenia Romae
Dicitur Iliades tranſiliiſſe Remus.
Aſt infans tunc Roma fuit: ſpectemus adultam:
Heu magnas domiti jam tenet orbis opes.
Tu cave, ſi cordi mens eſt tibi criminis expers,
Parva putes magni ſemina prima mali.

Nemo repente bonus, pariter fit nemo repente
Peſſimus: iſte ſuos ſervat, et iſte gradus.

* * *

Spes ultimum eſt malorum remedium.

Ultima praeſidio lapſis ſuccurrere rebus
Spes ſolet, et melius cras fore ſemper ait.
Haec facit, ut ſua crura putet fore libera ferro,
Quem dura vinctum compede carcer habet.
Naufragio victus ſua brachia jactat in undis
Spe duce; tellurem nec tamen ille videt:
Et quoties vitae ſpes ſola remanſit in aegro,
Quem Medici certae deſtituere neci?

* * *

Fugienda ſunt illa, quae aliquando occaſio fuerunt labendi in peccatum.

Quae ſemel accipitri rapidos jam ſenſerat ungues,
Concita ſi ſtridet penna, columba fugit.
Siqua lupi ſaevis excuſſa eſt dentibus agna,
Non procul a ſtabulis audet abire ſuis.
Quas ſtulte optarat, jam detrectaret habenas,
Et Patrium Phaëthon nollet adire polum.

Naufragio victa qui navit in aequore cymba,
Tranquillas etiam nauta veretur aquas.
Tu quoque sollicita circumspice singula mente,
Et timeas, animo quae nocuere tuo.

* * *

Belli damna.

Nil magis in terra crudeli Marte timendum:
Centenae Furiae damna minora ferunt.
Vix tuba conscriptas commisit in arma cohortes,
Et rigidum ferrum jura cruenta dedit;
Prosilit in campos pestis metuenda malorum,
Paupertas, morbi, furta, ruina soli.
Vastatas rapidus Vulcanus proterit urbes,
Terra suas segetes depopulata gemit.
Effera per strages sine lege licentia fertur,
Quodque libet, licitum creditur esse nefas.
Quis iam sanguineum poterit laudare Gradivum,
Quisve toga melius dixerit esse sagum?

* * *

Ovidius aeger vota facit Apollini pro ſanitate recuperanda.

O mea ſpes! miſeris quo non praeſentior aegris,
O ſummum Medici Numen Apollo chori!
Naſo Tomitanas Roma projectus in oras,
Paeoniam clamat, nec relevatur opem.
Aſpicis; et pateris media me morte jacentem?
Aſpice, et in noſtris mitior eſto malis.
Ille ego ſum, puero cui jam tua ſacra placebant,
Inque ſuum juvenem Muſa trahebat opus.
Ille ego, quo magnum celebrans ſacra vate per orbem
Jure venit cultos ad ſibi quisque Deos.
Erige me, pretiumque tuis fac cantibus eſſe:
Me, tua quid valeant numina, teſte proba.
Qui vati toties aderas mihi dexter Apollo,
Nunc etiam medicam porrige, Phaebe, manum.

* * *

Lamenta ob mortem Ovidii, quem deplorat Cupido.

Ergo jaces, mea ſpes, crudelia, triſtia fata!
Peſſima, lugubris ars! impia, digna rogo

Has

Has tot pro meritis cogor tibi reddere grates!
Ipſe comes jubeor funeris eſſe tui!
Quid moror infelix, leto lenire dolorem?
Pars ego ſum culpae, ſim quoque ſupplicii.
Vita mihi gravis eſt ſine te, mea vita, meum cor!
Junge, precor, tibi me: mors tua mors mea ſit.
Quos ſtudium junxit, jungat commune ſepulchrum:
Sit mihi fatalis, quae tibi terra fuit.
Hic tumulus nobis, tumulique in marmore carmen
Hoc breve, quod moriens ipſe relinquis, eris:
Hic ego qui iaceo tenerorum Luſor amorum
Ingenio perii, Naſo Poëta, tuo.

* * *

Gigantes Caelum oppugnantes, et ab jove dejecti demonſtrant, quam ſtultum ſit ſe Deo opponere.

Brachia centeno quid ſtulte Typhoëe niſu
Fers Divum contra, nil valitura, domum?
Tuque poterva nimis gens, turba profana Gigantum,
Theſſaliae in Superos quid juga ſumma moves?

Quamprimum vindex promet ſua fulmina Caelum,
Corruet in valles machina veſtra ſuas.
Pelion everſum, ſtratumque videbimus Oſſam;
Mole ſub excuſſa maſſa ſceleſta gemes.
Crudeſcent veteres ſine ſpe, ſine viribus irae,
Impietasque Deum veſtra triumphus erit.
Heu nimium demens, ſi quem labor irritus urget,
Immotum contra ſurgere velle polum.

* * *

Amor ſui ipſorum maximus eſt hominum Hoſtis.

Quid Scythicos demens arcus, aut Theſſala damnas
Toxica? Quid fortis vulnera caeca doles?
Non ita Maurorum ſucci, Thracumque ſagittae;
Non ita fortunae laedere damna ſolent:
Quantum nos aegrae laedunt mala gaudia mentis,
Et noſtri, in nobis qui latet hoſtis, amor.

* * *

ELEGIA,

Qua Hoſchius coram Virgilio, et reliquo Vatum caſtorum ſenatu accuſat Poëtas impuros, petitque ut ejectis illis ipſe cum Bidermanno, Hugone, Sarbievio et Baldeo in Poëtarum numerum recipiatur.

Partheniae Muſae! tuque o cui grande Poëtae
Parthenii nomen Muſa pudica dedit!
Vosque pii Vates, et Phaebo digna locuti,
Quos juvat a teneris pura Camoena jocis!
Damna quaeror pariter noſtris fatalia rebus;
Quae me, quae ſocios; vos quoque cauſa premit.
Fama jacet vatum; jacet omnis gloria Pindi,
Gloria caelicolis aemula, parve Diis.
Non queror amiſſum dicendi carminis uſum;
Carmina ſcribuntur plurima, ſcripta placent.
Non, qui tot populos modo Mars collidit, et urbes,
Seculave ingeniis nobilitata minus.
O ſi caſta forent, quid erat divinius illis?
Cur toties ſancti damna pudoris habent?

Ars bona! ſed malus eſt ad amores artis abuſus,
Non haec nos patitur cauſa placere bonis.
Non damnant artem, ſed damnant crimen in arte.
Qua Venus in verſu quolibet eſſe ſolet.
Deſino plura queri; Maro, teſtes inſpice libros:
Mille locis vetiti crimen amoris habent.
Inſpice Naſonem. Titulus ſatis ipſe legentem,
Naſo praeceptor qua ſit in arte, docet.
Nempe quod ingenio vatem juveniliter uſum
Perdidit, heu plures perdidit illud opus.
Emicat e ſcriptis tua paſſim flamma, Petroni:
Noſceris ex cantu tu quoque Galle, tuo.
Te, licet ipſe neges, damnat tua charta, Catulle:
Delicias verſus prodidit ipſe tuas.
Femina te vatem fecit, laſcive Properti,
Ut laedat, per te Cynthia forma potens.
Et quoties dilecta ſuo cantata Tibullo
Delia? vel quoties Lydia, Flacce, tibi?
O ſcelus! o Pindi labes! o publica morum
Pernicies, orbis perdere nata bonum!
Nubilis hos Virgo, matronaque, virque, puerque
Perlegit, et lectis publica palma datur.

Aönii Patres (quid enim niſi veſtra ſuperſtes
In deſperato cura, favorque malo?)
Carminis auctores, non autem criminis eſtis:
Vileſcant, per quos carmina crimen habent.
Quid ſpurios lauro decoratis Virgine Vates?
Non niſi Virgineos Virgo Poëſis amat.
Tollendis hominum vitiis eſt nata; cavere
Ni doceat vitium, nulla Poëſis erit.
Utilitate valent artes: ille, ille Poëta eſt,
Cujus ab admonitu deſinit eſſe ſcelus.
Tu, qui, quae toties nobis laſcivia miſcet,
Carminis odiſti crimina, carmen amas?
Da, precor, ut pulſis, quorum laſciva Camoena eſt,
Aönium nobis fas ſit adire chorum.
Sit rata noſtra fides; quos tu, nos odimus ignes,
Sectamurque nives, caſte Poëta, tuas.
Pro Naſone tibi ſacros Naſo alter amores
Non Feſcenninis verſibus Hugo canet.
Caſta Bidermanni Muſa eſt, eademque jocoſa:
Sic caſtos pariter quaeris in arte ſales.
Nomine Baldei vates quid notius inter,
Nomen ab Aoniae quod tulit arte Lyrae?
Par ſtudio, maior meritis Sarbievius: ipſe
Hoſchius imparibus verba ligabo metris.

Carmina ſic vatum Parnaſſo labe carenti
Concedant fama; perpetuamque dabunt.
Cauſa perorata eſt, Muſis ſacrate ſenatus,
Debita convictis dic modo jura reis.

* * *

Accuſationi reſpondet Ovidius.

Culpa gravis noſtra eſt, fateor, ſi crimina veri
Quidquam, quae nobis objiciuntur, habent.
Mortales vitium nobis didiciſſe magiſtris
Dicitur: eſt noſtris res manifeſta libris.
Fallor? an haec ſtolidi ſunt argumenta Poëtae,
Effigiem ſceleris qui putet eſſe ſcelus?
Aut quid, an idcirco liber omnis crimina ſuadet,
Crimina ſi, fieri quae potuere. refert?
Dic, age, ſi tumidos loquitur tua Muſa Gigantes,
Mene iubes ſummo bella parare Jovi?
Si tibi Theromedon, crudus ſi ſcribitur Atreus,
Atreus ut fiam, Theromedonve, cupis?
Jurgia, vel furtum quare narrantur? vt, inquis,
Deferat iratus jurgia, furta latro.
Scilicet haec vitii, ſi depingatur, imago eſt,
Terreat vt vultu, diſpliceatque ſuo.

Noxia res amor eſt; fugitur, ſi noſcitur idem.
Ut noſcas autem, nonne Poëta facit?
Aſt quiddam vitii quicunque hic concipit, errat,
Et nimium noſtris abrogat ille libris.
Atque equidem ut fatear, frontis non eſſe ſeverae
Carmina, nec ſalvo quaeque pudore legi:
Non tamen idcirco fateor, ſcelus iſta docere:
Nil prodeſt, quod non laedere poſſit idem.
Arte quid utilius Medica? tamen ipſa, ſalutem
Aegris interdum quae dedit, herba rapit.
Carmine ſic noſtro ſcelus averſabitur ille:
Ad vitium hic mores inſtruet inde ſuos.
Denique de noſtra noli contendere lauro;
Quippe ſumus Vates, tu licet eſſe neges.
Sit ſcelus; ars tamen eſt molles componere verſus:
Artis materia non maculatur opus.
Aut dic, num major, nitido qui format in auro,
Quam qui vulgari fingit in aere Jovem?
Si quid ineſt operi laudis, non illud ab auro eſt:
Ars probat artificem; nomen ab arte venit.
Inſontes igitur ceſſa reprehendere Vates:
In vanum lapſa eſt vis tua; cede foro.

Ava-

* * *

Avari Mydae ſimiles.

O ſtultum, vereque Mydam ſibi quisquis avaro
Congregat immenſas non fruiturus opes.
Jugera lata jacent, ſexcentis bobus aranda;
Horrea vix meſſi ſunt ſatis ampla ſuae.
Haurit inexpleto poſitis in fenore nummis
Lucra, ſed e lucris nil capit ipſe ſuis.
Mille feris intus congeſtum protegit aurum:
At medias inter vivit egenus opes.
Phryx alter, ſiccus radiantia pocula cernit,
Et ſtomacho fulvas eſuriente dapes.

* * *

Formae venuſtas caduca.

Ut quae ſublimi ſteterant argentea caule
Lilia, majeſtas, Flora, decusque tuum,
Uſta gravi Borea ſubmiſſo vertice pallent,
Nec color, aut ſplendor, qui fuit ante, manet:
Ut Roſa regali quae murice picta ſuperbit,
Pulchraque Paeſtanis ridet, et ardet agris,
Sole calens nimio marcentia colla remittit,
Et cadit in ſpinas exanimata ſuas:

Haud aliter teneram, morbo populante juventam,
Laeſa perit ſubito forma, vigorque malo.
Quaeque puella fuit nuper florentibus annis,
Poſt aliquot ſoles paene videtur anus.

* * *

Abſque labore nihil.

Exſpectata ſeges vanis te ridet avenis;
Si prius aſſidua non colis arva manu.
Tempore ſi verno vacuum tibi pendet aratrum,
Non erit aeſtiva falce ſecanda Ceres.
Ardua non pigris victoria quaeritur armis,
Nec niſi pro fuſo palma cruore venit.
Quid quereris, nullum quod det tibi dona Theatrum;
Nulla quod in tota ſit tibi palma ſchola?
In promptu cauſa eſt: oderunt otia Muſae;
Sola Deas faciles cura, laborque facit.
Eſt aliquid captas late dare ſceptra per urbes;
Eſt aliquid dominaa ſceptra tenere manu.
Pigra tamen nunquam manus imperioſa rotabit
Sceptra: labor ſolus condere regna poteſt.
Tunc quoque, cum Regni conſtat jam firma poteſtas,
Jure ſuo Regum viſcera cura terit.

Nulli vita placet, quam dat fortuna, Deusve,
Atque trahit tituli quemque cupido novi.
Huic mitra in votis; ſellam cupit ille curulem,
Hic tamen eſt humili natus, et ille loco.
Prandia mendico ſordent ſua, rura colono;
Et ſervus, Dominum ſi videt, eſſe cupit.
Cur ergo oblatum refugis pigra turba laborem?
Non niſi per praeceps gloria vadit iter.
Aſpice, perpetuis qui quaeris creſcere nummis,
Et repetis ſtolidi ditia vota Mydae,
Aſpice, Dii quantis vendant ſudoribus aurum;
Exiguae per quot fata petantur opes.
Poſt varios caſus, poſt mille pericula Jaſon
Aurea Phryxeae vellera cepit ovis.
Ut mutet patrias meliori fenore merces,
Saxa per et dubias navita currit aquas.
Ut ſpolient homines, ſurgunt de nocte latrones,
Nec ditant loculos abſque labore ſuos.
Pigra quid in molli ſolus trahis otia lecto,
Et medium ſemper ſtertis ad uſque diem?
Surge, laborandum eſt: comes eſt fortuna laboris:
Si tua non pigra eſt dextera, dives erit.
Oppida, rura, ſcholae, palatia, compita clamant:
Otia conſumunt; dat labor unus opes.

Ipſa etiam duro venit emta labore voluptas,
  Nec pariter laetis, et licet eſſe pigris.
Carpe róſam; laedent cupidam mox ſpicula dextram:
  Mella cupis? ſaevae mella tuentur apes.

* * *

Oratio ad B. V. ſub verni jejunii tempus uſurpari ſolita.

Orbis ave Regina, cui ſubſternitur aether;
  Cui famula caeli ſidera luce micant.
Aligerí cujus properant ad juſſa miniſtri,
  Et proni Dominae ſceptra verentur, ave!
Salve egreſſa ſolo, quamvis ſitiente liquoris,
  Radix florentem gignere viſa Deum.
Salve Porta ſacrae lucis: te tranſiit ante,
  Quam viſus noſtro Sol puer orbe fuit.
Hinc nitet alma dies: gaude, pucherrima, gaude;
  Nam Virgo ſpecie par tibi nulla fuit.
Dulcis amica vale, genitumque inflecte Tonantem,
  Numinis alma Parens, dulcis amica, vale!

* * *

Ingratus inter Homines locum non meretur.

Paucula, vere novo quae ſparſit dextra coloni,
Semina quam multo fenore reddit ager!
Alcinoi curis reſpondet pomifer hortus;
Aſpicis, ut vernas undique jactet opes.
En! gravis autumno vix ſeſe ſuſtinet arbos,
Laſſaque ſub pomis deficit ipſa ſuis.
Exiguo victu ſervanda ad vincla trahuntur,
Et vigilant grati nocte, dieque canes.
Naturae immemores propriae meminiſſe leones
Novimus e laeſo tela revulſa pede.
Indigni o hominum coetu! Gangetica teſqua,
Caucaſeas rupes, Armeniasque tigres,
Aut ſiquis terris locus eſt magis aſper, adite,
Patronis hominum gens male grata tuis.
Degeneres animi, praecordia ferrea, et ipſis
Dura magis ſaxis, aſperiora feris!
A vobis diſcent immanes eſſe leones,
Et pro collatis reddere damna bonis.

Orpheus a Bacchis laceratus docet Homines ſapientiae amantes ebrietem fugere.

Orgia Bacchantum refugit ſapientia, nec ſe
In plenos abdit ſobria turba ſcyphos.
Quid ſanum admittat, qui fervet potus, et exlex ?
Utile quid nimio mens amet acta mero ?
Si placuit divina tuae ſapientia menti,
Si quaeris vates inter habere locum:
Bacchantes fugito coetus, et pinguia tecta,
Quaeque famem ſatiet, ſit tibi menſa ſatis.
Odryſias utinam fugiſſet Menadas Orpheus,
Victima thyrſigeri non foret ille gregis.
Quem non dira tigris, quem non Styx laeſerat ipſa,
Accenſae Bromio diripuere manus.

BARBA,

CARMEN INCERTI AUCTORIS.

Incidit Lucubratiuncula haec, ut animadvertebam, recentior meas fortuito in manus; neque magnopere attinebat auctorem, qui oblituerat, rescire, aut indagare curiosius, cum satis ex ipso themate admonerer, esse duntaxat versionem elegiacam ex illa Baldei ode lyrica, cujus initium est:

Quid fles, Ragosi, cur madidam fricas?

Neque negligendum tamen hoc quoque genus exercitationis arbitrabar, ut non ejus quodpiam exemplar constaret; atque eo maxime, quia hoc ipsum, quod coram est, inter cetera, quae vidi usquam, pulcherrime Auctori suo cessit. Aetas, quoad ex indiciis conjectare potui, in hoc, cui inferitur, temporis intervallam videbatur congruere. Addidit Baldei Amator & alteram nihilo inferioris notae elegiam.

Quid

* * *

Quid madidum refricas vultum, quid lumina tergis,
Didace, quid lacrymae moeſta per ora fluunt?
Ore tenus juvenem referas, quod & ore puellam,
Nec vernent dubiis forte quod ora comis?
Nona tibi quamvis viceſima venerit aeſtas,
Atamen haud barbae creverit ulla ſeges?
Perlege judicium. Numen tantumne ſubeſſe
Tu barbae credas, exiguisque comis?
Quid cupis, ut nudo tibi penſilis haereat ore
Lana, tua crebro delinienda manu?
At non terrificum numen ſe praebuit Indis
Lenaeus toto corpore, & ore glaber?
Nunquam Juno fuit furtis offenſa mariti,
Tempore quo nullas ora tulere comas.
Paſſus erat vultu vix mollem increſcere barbam
Jupiter, & ſubito factus adulter erat.
Imberbis nunquid Zephyrus? quid mollius illo?
Eſt Veneri ſocius, ſponſaque Flora ſibi eſt.
Cymodoce teneros fugit Tritonis amores:
Oderat hirſutum Nympha pudica virum.
At placuit Nymphis Acis, glaucusque Palaemon,

Cum pinxit roſeas prima juventa genas.
Tene cupido tenet vultus geſtare latronis,
Cui cadit in pectus ſordida barba ſuum?
Ah ſine, ſe jactent, ſilveſtria Numina, Fauni,
Monticolae Satyri, capripedumque cohors.
Oſtentet faciem incultam, ſqualentia jactent
Ora, per innumeras dedecorata comas.
Quid prodeſt, ſi barba tibi riget horrida mento;
Setigero ſuperas ſi ferus ore caprum?
Si tamen eſt animus maleſano vivere voto,
Nec ſapere admonitu, conſilioque meo:
Deſine ſollicitis conſumere pectora curis,
Spes patitur longas, tu mihi crede, moras.
Necdum deterior canis adſpergitur aetas;
In primo aetatis limine vita tibi eſt.
Prima tibi nunc vita viret, nunc meſſis in herba eſt
Tonſilis, & teneri nil niſi lactis habet.
Quae glaciale gelu metuit, metuitque pruinam,
Tempore perrumpet meſſis adulta genas.
Tempore pingue ſolum teneris rutilabit ariſtis;
Tempore conſueſcet creſcere flava ſeges.
Nec ſe parva tamen trudet fruticatio ramis:
Silva ingens umbram ſparget ubique ſuam.
Omnia tempus habent: & ſunt ſua tempora barbae,
Nec venit ante ſuum barba cupita diem.
Fortiter interea prorita implume labellum;

Saepe tuis digitis vellito, ſaepe trahe.
Mox tibi, millenus molli caper effluet ore;
Capripedum fies dux gregis ipſe caper.
Tunc ſoror, & genitrix vultu tremefacta ſevero
Cedent mandatis, imperiisque tuis.
Quid video? me, Muſa, juva! Quae plurima viſu
Irrepſere tuis, Didace, monſtra genis?
Quam mea Muſa potens, quam cantu, & carmine ſolo
Elicuit tardas, ignivomasque comas!
Undique jam fatuus promittitur ordo pilorum:
Undique lanugo flava per ora tepet.
Undique flaveſcit mento nix juncta rubori,
Quam modo dilectus candidus iſte rubor!
Te tua barba probat Ruforum ſtemmate natum:
Creſce, et Ruforum gloria gentis eris.

EIUSDEM

DE VERE STUDIIS APTISSIMO.

Ver tepet, accitos Pallas nunc cogit alumnos,
Seu quibus eſt Martis, ſeu quibus artis opus.
Ite! ſacris faciles monitis date Praeſidis aures;
Nec longa Dominam ludificate mora.
Vos tamen ante alios celeri praecurrite greſſu,
Queis toga neglecto poſcitur alba ſago.
Currite: ſollicitam veſtra pro laude Minervam
Moliri in ſimiles audio verba ſonos:
Dilecti Juvenes, teneri flos nobilis aevi;
Maxima Pieridum gloria; noſter amor;
Pindi deliciae; Pataraei Fratris ephebi,
Quos juvat auſpiciis acta juventa meis.
Tempus adeſt, ſtudiis quo vix magis aptius ullum
Integer ex cunctis menſibus annus habet.
Jam triſti glacie, caniſque hirſuta capillis
Acta procul Zephyro bruma fugante migrat.
Horrida Biſtonii poſuerunt murmura flabri:
Indulget placidos aequior aura dies.

Rur-

Rurſus odoratos poſcit zephyritis amictus,
Floriferasque ſinu divite fundit opes.
Herbida pubentes ſerpit lanugo per agros:
Caeruleus variat mollia prata color;
Arboribusque novae redeunt in brachia frondes,
Quas fera brumali falce totondit hiems.
Stirps etiam, pigrae calcar, ſtimulusque juventae,
Flexilibus curvat ramea terga comis.
Mellea vimineos nunc linquunt turba Penates,
Et roſtro violas depeculante petunt.
Nunc & pennigeri, vocalis turba, choraulae
Dulcibus alternant garrula roſtra modis.
Et nova populeis ſibi pendula tecta ſub umbris,
Materiam ſtipula ſufficiente, ſtruunt.
Impigra jam caecis exit formica tenebris,
Et ſoliti repetit gnava laboris opus.
Otia vos ſemper, pigras quoque luſibus horas
Ducere, dum fervent cuncta labore, juvet?
Aut tepidas inter ſtertendo degere plumas,
Dum clarum recipit plena feneſtra diem?
Sic quibus ad Muſas bruma frigente rigebat,
Ad Muſas animus vere calente tepet.
Atque utinam tepeat! Rhodope magis alget, & Haemo,
Quem tegit aeterno nix glaciata gelu.
Paſſim Caſtaliae riget ingens nauſea lymphae,
Et prae Pegaſeo fonte popina ſapit.

Sed non ſpumanti bibitur ſapientia vitro,
Nec ſolet Aonias vendere Bacchus opes.
Prolueres illo conſultius ora liquore,
Ungula quem bifido fundit equina jugo.
Hoc Naſo, hoc alii feliciter amne biberunt,
Laurea queis doctas umbrat honora comas.
Hinc meus ille, meus plenis crateribus hauſit
Alſata, cui doctam ceſſit Apollo lyram.
Baldeum memoro, Muſis venerabile nomen,
Secula cui vatem pauca tulere parem.
Utque fuit Phoebo nullo non deditus aevo;
Hoc tamen, hic inquit, tempore noſter erat.
Tunc ſolum ſpirans Helicona, ſuique, cibique
Immemor in numeros, & vaga metra ruit:
Et modo ranarum cum muribus aſpera bella
Vulgavit Latia, me ſtimulante, tuba:
Jam pia colliſos animans ad federa Reges
Threjicio ſtimulat bella movore gregi.
Mox virides celebrans, Dictynnae limina, ſaltus,
Maenala feſtivo carmine picta dedit.
Rurſus & Arcadicas aggreſſus fortiter arces,
Exſcidit auſpiciis barbara valla meis.
Cetera praetereo: juvat hos meminiſſe laborum,
Quos uno cumulos vere Poëta tulit.
Quid memorem reliquos, Muſarum encomia, Vates,

Par Aganippeae quos ſitis uſſit aquae?
Vere novo ſolito major tamen ardor agebat,
Et calor in modulos acrior ille fuit.
Hoc quoque, ſi ſapies, Juvenis ſtudioſe, magiſtro
Hos, juga ſi placeant pulchra, ſequere duces.
Quod veris ſupereſt, dominis impende Camoenis:
Segnities redimi ſedulitate poteſt.
Ergo age florenti cum tempore jungito venam.
In numeros nunquam laetius illa micat.
Qui pigra ſurdus ad has non ruperit otia voces.
Otia Pieridum feſta nec ille petat.

ELEGIACA

FERDINANDI GREBMERI.

Debeo in primis operam, ac memoriae aeternitatem merentiſſimo Grebmero, Magiſtro meo, ceterorum omnium, quos nanciſci contigit, aeſtimatiſſimo. In Oeniponte cum ſcholas humaniores puer percurriſſet, litteris etiamnum exemplaria veterum praeſtantiora ſequentibus, cum necdum turbo affectationis ſequioris rerum ibidem potiebatur (*) *: poſtmodum e Gaſſmayeri, Quinctiliani tum*

(*) Invaluerat ibidem aliquanto poſtea ſapor quidam haud ſane ſaluberrimus, cum non modo Virgilio longe Statius, et Claudianus; Ovidio Sautelus; Horatio Carrera anteferretur; ſed et troporum uſus paene in quandam degeneraret inſaniam. Exempla illo ex aevo meas in manus quaedam inciderunt, quorum non nulla ex chartis, in quibus commendabantur, hic juvat ſubjungere. Cum parum intellecto Virgiliano illo: *Purpuream vomit ille animam* *, id eſt, ſpiritum mixtum cum ſan-

tum celeberrimi, disciplina, exacto tirocinii biennio in Weitenaueri se manus sub ann. 1743, et 1744 Neoburgi veluti refingendum dedit, saepe mihi confessus, quidquid in se foret saporis exquisitioris (et erat sanè plurimum) artisque, et linguae, id se huic debere. In Philosophicis ad Newtonum erat propensior, tametsi ad Aristotelem ipse instituebatur, atque hunc profiteri eidem etiamdum necesse fuit: quod discipulis nobis non raro sermonibus significavit: erat enim in rebus olim profuturis adversum suos mira ad impertiendum familiaritate. Hunc ego triennio, ab*

anno

---

guine, superare tamen Maronem dictionis poëticae sublimitate Poëta recentior vellet, de moribundo animam etiam sine vulnere efflante dixit: *Purpureum pulmone diem projecit in auras.* Alius de machina bellica explosa: *Terribiles vomit ore minas; vomit ore Gigantes Aethnaeos.* Iterum de Citharoedo fidibus canente: *Doctaque dulcisonam dextra flagellat ovem;* quia fides ex ovillis intestinis fiant: quod paene est nivibus frigidius, quas alius *tacitarum vellus aquarum* dixit. Rursum alius de Victore lauream sibi imponente: --- *Invictaque dextera carpit Daphnidem Achilleas implicitura comas.* Item de Sene scutum, et galeam capessente:

Scuta juvant, rutilos spirantia scutu furores:
Cudo juvat trepidis aerea cura comis.

* Aeneid. lib. IX., v. 349.

anno inde 1748 ſic auſcultavi magiſtrum, ut verba illi certe pauca non avide a me excepta tempore illo omni exciderint: tanta erat explicantis eruditio, tanta communicandi gratia; neque ea minor, ubi in theatrum ſuos produxerat; utique pro aetatis, locique ingenio; ſed tamen, quam ceteroquin, exquiſitiora illi pleraque. Suis ipſe in exercitationibus navus ad puerilem captum et concipiendis, et accommodandis, arte tamen in primis valuit excitandi ingenia, ut ſuo ſibi Marte certatim ipſi argumenti quidpiam arriperent, in quo ſeſe agitarent. Optaram vehementer, uti eodem liceret inſtituente etiam Oratoriam porro excipere. Mos obſtabat: avocabat eum Theologiae curriculum quadriennio abſolvendum. Quo exacto crebrius inter nos litterarum erat commercium. Ceterum quam maturrime ad ſuperiores a Moderatoribus traducebatur diſciplinas, rebus jam tum maximis deſtinatus: in quo eosdem humani caſus multum fefellerunt: accitus enim in patriam, mortem ibi intempeſtivo eventu ſibi reperit; ſiquidem dum reſtinguendo, quod in urbe coortum erat, incendio cum ceteris accurrerat, militis, qui plebem baliſtarii ſui ictibus removebat, per imprudentiam aberrantis validiore impactu aliquid in-

intra latus calamitatis accepit: quod initio neglectum; nec postea satis tractatum perite vertit in tabem. Atque is quidem ad extremum, si Oeniponte Halam deportaretur, aliquid ibidem remedii reliquum sibi fore autumaverat. Sed ingemuit Parens hic meus, quod Viri Amicissimi vitam tantisper prorogare duntaxat; at, malo per moram latius progresso, servare haud jam posset. Itaque diem ibi obiit supremum. Quod etsi luctuosissimum mihi accidit, est tamen illud quo magnopere laeter, quod Viri Clarissimi Fratrem porro unum (alter enim pridem Viennae decesserat, de quo mox insolens quidpiam hic annectam) honorificentissimo functum magistratu, antiquitatisque, et litterarum, cognitionisque rerum naturalium inprimis studiosum, Illustrem D. Josephum Grebmerum a Wolfsthurn, *in patria superstitem memini, qui haec postuma, tanquam vivos cineres, fraterna pietate hac nostra ex Sylloge sit lecturus; cum me jam nuper humanissime salutandum curasset. Neque ista meis duntaxat e chartis, quibus ea discipulus exceperam, promo, sed ab ipsiusmet Clar. Auctoris manu: quippe qui, ad philosophicas jam cathedras gradu facto, humanioris litteraturae lucubrationes, atque ex-*

 cerp-

cerpta sua omnia amicissime ad me transscripsit: ex quibus hic a me vulgantur; jucundissima eadem futura Viris Clarissimis, Antonio Brockio, *Cujns Brixinae, atque* Antonio Niggio, *Cujus Augustae in Vindelicia Nomen excellit, Condiscipulis hoc sub Magistro meis: quibus illud ab eodem recordor enarratum; quod, quia singulare est admodum, neque dubitationis quidquam Viri fides relinquit, ab omni ceteroquin fuco, ludibrioque semper quam alienissima, efferre in publicum haud ambigo. Ajebat, cum Philosophiae auditor Ingolstadii secundum Danubii ripas duobus cum sociis prodeambularet, subito intersistentem se, atque ad eos versum dixisse, nescio quid obversari sibi, quod Fratrem sisteret emorientem. quare aliquid bonae precis conciperent. Neque multo post litterae afferuntur, quibus certior est factus, Fratrem eodem ipso die, eademque istius hora Viennae obiisse. Res haud sane faciles habet explicatus; cum illi de morbo haud quidquam fuisset antea compertum.*

PAM-

* * *

PAMPHAGUS.

Arcadii proceres, gens audaciſſima ſemper,
Nata mihi riſus ſaepe ciere novos.
Si Pallas renuat, vobis inſcitia vires
Suggerit, auriculis ipſa ſuperba ſuis.
En novus illuſtri Boeotum vectus ab ora
Arbiter elato Pamphagus ore ſonat.
Ite leves elegos qui cuditis: ite cothurnus
Quos juvat, et Grajae ſoccus amatus humo.
Huc date Maeonidis nugas, huc furta Maronis,
Huc et Pindaricae turgida verba lyrae.
Huc pueri, miſeros quos balbutire Latina
Alvarus inſano verba labore docet.
Et memori, quid noſtra ferat ſententia, mente
Accipite: a Superis dogmata miſſa cano.
Sicui pulcher amor peregrinas diſcere linguas:
Italus, Hebreus, Gallus, Iberus ero.
Me ſibi Romanae decus, et facundia linguae
Tullius eloquio non negat eſſe parem.
Res geſtas hominum primo referemus ab ovo:
Fama recens aures non fugit ulla meas
Si Stagyriteae placeant vaga jurgia ſectae:
Pernego, diſtinguo, fallo, refello, probo.

Jam fora, jam leges, ſummique arcana ſenatus
Non minus articulis ſunt mihi nota meis.
Tradidit ipſe mihi ſacras Epidaurius herbas,
Quoque levem, docuit, corpora laeſa modo.
Stellarum reditus, implexosque orbibus orbes,
Regnaque cum populis, fluminibusque canam.
Pamphagus haec fatur? Poterat majora profari
Pamphagus, Aonii vox, et imago Dei.
Ipſe, quid aequoreo muſſent in gurgite piſces,
Audit, et in mediis fulgura cernit aquis.
Exſtructas numerat lunae per concava turres:
Quidquid Areſtorides non videt, ille videt.
Ebrius in decimam ronchos ubi traxerit horam:
Summano referet ſomnia digna Jove.
Ille eſt, cui quatitur cenſoria virgula, plenus
Dum cupido fundit vina diſerta cadus.
Ad me jam, ſupplex tua te per numina poſco,
Pamphage divinum flecte ſupercilium.
Omnia cum noris: dic, Optime Maxime, Pindus
Millia quot ſanis diſtat ab Anticyris?

* * *

IN ILLUD SALOMONIS:

VANITAS VANITATUM, ET OMNIA VANITAS.

 Eſte procul vanae vaniſſima gaudia mentis,
Gaudia veraci poena vocanda ſono.
Foeda recede procul, Syren maleſida, voluptas.
Cedito mentitis gloria picta modis.
Ne mihi magnifico venias, Ophir aurea, cultu,
Ut manibus nectas vincla ſuperba meis.
Thurilegi mittant Arabes ſua, mittat opima
Engaddi vallis munera: neutra placent.
Da mihi, quas vaſto tellus tegit alta receſſu,
Quasque rapit fluctu pontus avarus, opes.
Quas ſtupet Aſſyrio Babylon regnata tyranno,
Et quidquid Pharius grande Canopus habet.
Adde peregrina quae fert niger advena claſſe;
Naſcentem primus qui videt axe diem.
Hoſtibus haec, dicam, date munera: novimus illa:
Non vacat in curas mens mihi feſſa novas.

Ille ego, quo nunquam Solymaea major in ora
Aut fuit, aut, fractus dum cadet orbis, erit
Aequam condidici miſeris ſtatuiſſe bilancem
Deliciis, damno doctior ipſe meo.
Ah mortale genus; ficto male credula fuco
Progenies! fidi verba monentis habe.
Gens inſana, tuae nunquam ſat provida ſortis,
Quae tandem e ſtulto dona labore feres?
Quid petis? aut quid ſunt ad ſeros fama nepotes,
Quid Mammona potens, quidque volupta? Nihil
Aſpice currentis caeli per inania ſtellae
Fulgura: dum ſpectas, dic age, ſidus ubi eſt?
Aequalem Superis dum Lucifer ambit honorem:
Impoſitam ſenſit ſub ſtyga pulſus humum.
Vade miſer, male quisquis amas Aſphaltidis hortos;
I, pete ſuppliciis littora nota ſuis.
En! arbor gravidos offert ex ordine ramos:
Invitant cupidas poma ſuperba manus.
Heu celer avulſos lugebis ab arbore fructus:
Foedabunt refugas poma caduca manus.

Ex-

Exhalant piceos, dum vix bene tangis, odores,
  Triſtis et e fracto cortice pulvis abit.
Quis fuit, ingenti Sichimae qui moenia luctu,
  Sanguineque implevit? Quis, niſi turpis amor?
Novi ego, diſperſo Fratrem jacuiſſe cerebro:
  Regius infecit pocula feſta cruor.
Nec ſatis haec: triplici confoſſus cuſpide pectus
  Ad nigra poſt fratrem tartara, Frater, abis,
Cauſa patet: vetitos nimium male ſenſimus ignes:
  Paene ruit ſonti cum patre ſtrata domus.
Haec ſunt, Sidonium quae novit praemia monſtrum
  Reddere, perpetuo digna labore peti.
Ergo age, quisquis amas inſanae gaudia terrae:
  Dum licet, admonitu diſce cavere meo.

* * *

DIRAE

SCHOLASTICI OTIOSI IN FESTA LUCALIA *

Atra dies, tenerae nimis insidiosa Juventae,
Dignior in Stygio delituisse lacu!
Quae miseros rigidi mandata timere Magistri
Cogis, et insontes verbera ferre manus.
Quae retines duris semper constricta catenis
Corpora, felices nec finis ire dies.
Jamne iterum rediit, qui vix bene pulsus abibat
Insuetus pueris, et sine fine labor?
Ah rediit! redeunt pariter curaeque, metusque,
Deficit innumeris mens stupefacta malis.
Parva queror; nostrae labor est pars ultima poenae:
Effugit hunc, nota quisquis ab arte valet.
Sors bona si fidum lateri conjunxit Achatem
Haerenti sociam porriget ille manum.

* *Quo die scholas aperire mos erat. Ceterum hic secundis curis non nulla in Mss. refinxit Auctor.*

Qui dum forte negat, celerem, drachmaque parandam
Pronus opem trepido qui ferat, alter erit.
Cetera ſi deſint, obliqui cautus ocelli
Qui furto didicit fallere, liber abit.
At graviora premunt: ſunt millia mille dolorum,
Et ſi mille feras millia, plura feres.
Mox ubi prima quies feſſos recreaverit artus,
Pellimur e tepido turba miſella toro.
Nec mora, triſte ruit male pexis crinibus agmen
Nigram per pluviam, Sarmaticasque nives.
Aſpicias uſtas Riphaeo frigore nares:
Oſtendunt laceros pallia rupta ſinus.
Itur in anguſti tenebroſum carceris antrum.
Janua ferratis ſtridet ahena ſeris.
Horridus obſcura Minos dominatur in aula,
Saevaque crudeli praelia fronte refert.
Non ego ferales metuam Buſiridis aras
Qui dedit invitis ſacra nefanda Diis.
Effera ſi liceat noſtri fugiſſe tyranni
Lumina, et atroces, quas vomit ore, minas.
Vix bene conſedit ſolio truculentus in alto,
Evocat horrentes ad nova flagra reos.

Si quis (ut in pueris) mendacis crimine linguae
Labitur, hunc mira fubdolus arte capit.
Haud fecus, ac tectis intentus retibus auceps
Fallaci ftolidas carmine ludit aves.
Sic is, quid faciat, quibus aut utatur amicis,
Mentita puerum fimplicitate rogat.
Haec ubi deprendit, filet ocyus: ille, feroci
Ceu redeat liber judice, victor ovat.
Stulte, quid exfultas? nefcis, improvide, nefcis:
Deceptum in laqueos inferis ipfe pedem.
Ipfe vocas teftes, queis te fibi vera negantem
Opprimat: i liber judice, victor ova!
Mox tibi caeruleo veniens in fyrmate lictor *
Armabit validas in tua terga manus.
Nae vulnus fies! (experto crede) minacem
Romphaeam haud dubiis ictibus ille vibrat.
Non aliter Brontes, Steropes, foedusque Pyracmon
In calybem vires exferuere fuas.

* Caftigatorum infamium (neque immerito) tam invidiofum erat officium, ut, qui ad illud adhiberentur, caeruleis induti tunicis, atque obnupto capite, ut oculis tantum effet ufus, fupervenirent. Qui mos tamen pro locorum ingenio variabat.

Inde (nefas) crudam protendit ad oscula dextram,
Et pretium turpi pro feritate petit.
Barbare! pro digno sudoris munere plures
A Superis plagas, quam facis ipse, feras.
Quisquis is est, primus qui sic lacerare nocentes
Ostendit pueros, ferreus ille fuit.
Illum quae genuit nigras Phlegethontis ad undas
Tisiphone, partus horruit ipsa suos.
Cumque parens natum superas projecit in oras,
Nutriit infaustum tigris, et ursa caput.
Heu mihi, quid tristi pendens e culmine foedum
Ringitur, et rauco Cerberus ore latrat? *
Ergo iterum veteres cogar perferre labores?
Ergo quies nullo fine carenda fugit?
Non fugiet: doctas fugiam prior ipse Sorores,
Semper et a Pindi sedibus exul ero.
Nil mihi vobiscum est, invisae tecta palaestrae:
Gratior ingenio jam venit aura meo.

Vos

---

* Aes campanum, plerumque e turricula pendulum, quo in scholam itantibus signum dabatur, ab iis, quibus ejus intempestivitas aliquid molestiae exhibebat, *canis scholasticus* vocari consueverat: ut proin Cerberum latrare dicerent, cum ejus clangor insonabat.

Vos o nunc ſalvete pii, mea corda, ſodales,
Quos madidi rapiunt orgia laeta Dei.
Poſt ego vos inter viridi projectus in umbra
Aſpiciam placidos ire, redire dies.
Cymbala, carmina, laeta tripudia, ſerta, choreae,
Cumque ſuis veniant gaudia ſueta jocis.
Tu tamen, atra dies, Stygiae devota paludi,
Accipe ſed meritis vota minora tuis.
Non aurora tibi roſeo luceſcat ab ortu,
Atque negent ſolitum lunaque, ſolque jubar.
Sidera Cimmeriis lateant abſtruſa tenebris
Et pro ſideribus fulgura foeda micent.
Non Zephyrus tepido tibi lene ſuſurret ab axe:
Sed vehat infeſtas turbidus Auſter aquas.
Fundat Hyperboream brumali grandine nubem,
Qui ferus Arctoa ventus in arce ſedet.
Te canat infami crocitans in ſtipite corvus,
Quaeque habet a ſero veſpere nomen, avis.
Laetaque ſis nunquam, nec ſis optabilis ulli,
Adventu fugiat femina, virque tno.
Nuptaque cum ſponſo ploret nova, cumque tenellis
Virginibus mater, cum puerisque ſenex.

Denique (quod ſupereſt) faſtis excluſa diebus
Dicaris populo ſola nefaſta dies.
Lethaeamque petas, nunquam reditura paludem,
Et ſileat toto nomen in orbe tuum.

* * *

In illud: Nitimur in vetitum.

Res nova, ſed priſcis eadem bene cognita ſeclis:
Quod licet, ingratum eſt: quod nocet; ecce libet.
Nunc hilares agitare choros; nunc ſerta virenti
Nectere fronde juvat; nunc juvat eſſe bonos
Dic, age, ſecuros, dic, pergite fundere plauſus:
Pergite: nunc leges gaudia, Rexque jubent.
Dum loqueris, flemus; cum dulci gaudia riſu
Praecipiti fugiunt non reditura gradu.
Vis, redeant? Largos, dic, lumina fundite fletus:
En citharae, en hilares concinuere tubae.

Non

Non placet insanum facinus: prohibeto, placebit.
Lex vetat hoc: magis id, quod vetat, inde placet.
Si mandas, renuunt: renuis; tanto acrius ardent:
Lex nova ne placeat, quod placet ante, facit.
Hoc lex nulla facit: non lex inimica quieti est:
Impatiens legem qui fugit, ille facit.

* * *

FURIAE ACHILLIS

APUD HOMERUM.

Calliope, mundi quae tarda oblivia pellis!
Adque meos revocas secula prisca dies!
Num decet indomitas (adsit reverentia dicto)
Aemonii furias te meminisse Ducis?
Quo sine jam versis lugeret Graecia fatis,
Dardanaque Argolicas flamma tulisset opes.
Quem tot Pergameae solum tremuere phalanges:
Gratior hunc poterat pingere, Diva. color.
Non pudet indignos rapta Briseide luctus
Fingere, et irato castra relicta pede?

Atri-

Atridem merita ſuccendit Tyndaris ira,
Cum fugeret juſto perfida facta viro.
Aeacides contra, victos cum cernat Achivos,
Pellicis indigno fractus amore furit.
Quin miſeras etiam caedes numerare ſuorum
Gaudet, et hoſtili vulnera facta manu.
Non illum lacrymae tangunt, gemitusque cadentum:
Sed mala cum dederit plurima; plura vovet.
At, puto, delevit crimen, feſſusque furoris
Fortior Hectoreae contudit arma manus?
Quod decus Heroëm tantum, quae fama ſecuta eſt,
Priamides rapidis cum traheretur equis?
Gloria ſi fuerat Troem ſtraviſſe ſuperbum:
Gloria proſtrato parcere major erat.
Monſtra petunt roſtris aquilae viventia: crudus,
Qui fodit abjecti viſcera, vultur erit.
Ipſe rates Hector ſaevo cum perderet igni:
Mitior in falſo victor Achille fuit.
Diva potens! magni ſileant, fac, turpia Regis
Crimina, Maeoniis non referenda modis.
Sic bene Pelides peltata per agmina currat;
Et cadat in Phrygio Pentheſilea ſolo.

Sic

Sic Neptunigenam compreſſis faucibus hoſtem
Strangulet, ac Priamus funera mille fleat.
Terra ſed iratum dum cernet conſcia: nunquam
Peliacum fugiet probra pudenda genns.
Fallor. Inexpletos conſtans cane, Muſa, furores,
Suppliciisque ferum plectere perge ſcelus:
Ut, quae magnanimos tollit ſuper aethera Reges,
Horreat et Regum poſtera fama nefas.

* * *

PARAPHRASIS ELEGIACA

IN ILLUD PROVERBIORUM CAPITE 8VO:

NUNQUID SAPIENTIA CLAMAT &c.

Nemo hic Paraphraſin animo praecipiat Salomonicis anxie inhaerentem verbis, cum neque Theologiam etiamdum ſalutaſſet Auctor, neque ejusmodi verſio elegiaca ad ejus fortaſſis Genium feciſſet. Itaque duntaxat potiora quaedam inde capita excerpſit, ſecundum ratas exornanda ſententias. Atque poſtmodum in eis quidem non nulla mutavit, detractis quibusdam, aut ordine alio

alio diſpoſitis: ſed, cum parum ad rem ſummam intereſſent, nolui a prima carminis deſcriptione diſcedere.

Currite, queis virtus placet aurea, currite pulchris
Ad ſe quos ſtimulis vera Sophia rapit.
Vos ego ſupremi ſoboles dilecta Tonantis
Advoco: non ſegnem res petit iſta moram.
Curre, ſenecta pedem tremulo cui tarda ligavit;
Ipſa feram greſſus ad ſua vota tuos.
Curre, ſuis juvenem quem fortius incitat ardor
Ignibus: ad lauros ne mihi ſerus eas.
Non jubeo ſummos currentem ſcandere montes,
Aut procul inſuetis ire per aſtra viis.
Non opus immenſum transmittere navibus aequor:
Ad mea quisquis amat roſtra venire, venit.
Rura per, et magnas Regum feror obvia ſedes;
Me mare, me tellus, me locus omnis habet.

Me ſine ſi fuerit, periit: nec me tamen unam
  Vel mare, vel tellus, vel polus ipſe capit.
Dum Chaos antiquum nigris evolveret umbris
  Omnipotens rerum Conditor, ipſa fui.
Nulla graves montûm feriebant ſidera moles;
  Non meus hic orbis, nec locus orbis erat:
Regia fulgentis nondum ſtetit aurea caeli:
  Non iit Eoum Lucifer ante diem:
Quando ego non geniti proles non condita Patris
  Ipſa meo ſedes numine digna fui.
Ipſa fui, veſtrae gentis dum captus amore
  Aethera ludenti condidit ille manu.
Ipſa ego, quae latum digito ſuſpenderet orbem,
  Quaeque ſuo regeret pondere cuncta, fui.
Me ſimul aſpexit tellus, tremefacta potentem
  Supplice Reginam devenerata genu eſt.
Terrigenum pronae quaevis ad crimina nentes!
  Quis tarda inſolitus pectora torpor habet?
Nonne pudet ſurdas monitis caeleſtibus aures
  Claudere, et inſanos volvere mente jocos?
Dum pretioſa palam vendit mendacia mundus,
  Luditur attento fabula ſtulta foro.
At mea dum ſonuit vox fallere neſcia: ludor,
  Sacraque cui placeant dogmata, rarus adeſt.

O quoties dixi: non hic nocitura docentur!
    Aethereae ſedis pignora certa fero.
Decipit infidi ſimulatus venditor auri,
    Quaeque placent merces, utilitate carent.
Maxima cui veniunt congeſtae pondera gazae,
    Non permanſuras colligit emtor opes.
Non tamen obſequio, pretio non parcitur ulli:
    Omnibus heu levis eſt in ſua damna labor.
Aſſyriae foedos prenſant meretricis amores,
    Miſtaque vipereo pocula felle bibunt.
At ſua quem vidit veneratum numina, ſpernit,
    Quodque dedit, repetit; quo placuitque, nocet.
Parcite nominibus res pendere: nil honor ille,
    Nil male blandus amor, nil gravis arca juvant.
Dum ſequeris, fugiunt: ſi perſtant, pectora torquent:
    Vix veniunt, pereunt: dum periere, necant.
Parcite promiſſis miſeri confidere gazis:
    Qui gazas poterit ſpernere, dives erit.
Nil, ſi Niliacae tua rumpant horrea meſſes,
    Proderit: infauſtum flamma vorabit onus.
Mille dies fugiunt, dum te tua vota ſequantur:
    Mox, quod mille dabant, auferet una dies.

Una dies veniet, quae te valedicere terris
Coget, et exiguo conteget ossa solo.
Haec quoties monui? quoties mea dicta probatis,
Mens ubi consumto sana furore sedet.
Ah quoties dixi: Non hic nocitura docentur:
Aethereae sedis pignora certa fero.
Sed subito refugos vertit sententia: rupto
In nemus antiquum ceu fera fune ruunt.
Bella placent, saevaeque animis discordibus irae:
Exul abit spreta cum pietate fides.
Omnia tentavi: sed agunt nihil omnia: summo
Heu crimen potuit praevaluisse Deo!
Astra piis; nigrum sceleri decrevimus orcum:
Orco etiam potuit vilior esse Polus.
Qui tigrides potuit, saevosque domare leones,
Non hominum potuit corda domare Deus.
Sed poterit, poterit dignas decernere poenas,
Cum vindex posito patre severus erit,
Et rigidas poterit consurgere justus in iras:
Quem scelus esse patrem non potuisse facit.
Inproba gens flebit, meritis cum tradita flammis
Pascet avernales non redimenda rogos.

Sed nil tum lacrymae proſunt, gemitusque dolentum:
Non erit immenſo tempore poena minor.
Jam miſer eſt ſemper, nec erit miſerabilis unquam;
Crimine qui didicit ſic ſemel eſſe miſer.
Ipſa reos ludam, qui me luſere vocantem:
Hoc riſus pretium turba proterva feret.
Ah meliora pii! Cupido mea pectore dicta
Condite, felices ſi juvat eſſe diu.
Siquis amor caeli: veſtrae ſi cura ſalutis,
Prona locuturo pandite corda Deo.
Nunc cito, nunc celeres miſſis reſipiſcite nugis!
Hora fugit: ſero qui ſapit, ille perit.

* * *

Campus Suburbanus.

Tempora veris eunt: Borea, Cauroque fugatis
Solvit Hyperboream mitior aura nivem.
En, cui vipereum ſuffundit cauda venenum,
Pulſus in occiduas Scorpius ivit aquas.
Suſpendit vacuam laſſatus Aquarius urnam:
Diffugiunt lato nubila foeda polo.
Tyndaridae gemini, Fratrum par nobile, noſtris
Mille ferunt animis gaudia, mille jocos.

Nunc juvat aſſuetos poſt frigora viſere campos;
Cedite ſacrato turba profana loco.
Horrida Cimmeriis cum ſtarent arva pruinis:
Cum glacie tectas curreret unda vias:
Tunc agitare leves licuit ſuper aequora curſus:
Res iterum dominos jam petit iſta ſuos.
Cedite, ſacra cohors, doctae devota Minervae,
Imperat: haec Lycii ſunt rata juſſa Dei.
Nos melius feſſos curis, fractosque labore
Excipient viridi gramina blanda ſinu.
Ruſtice, junge boves; proprium tibi ſume ligonem:
Poſcit araturas patria terra manus.
Cedite: noſter hic eſt locus: id ſi forte negetis,
Artifici monſtrat littera ſculpta manu.
Cedite! Ceſſerunt. Socii, paeana ſonate,
Atque triumphati figite ſigna gregis.
Huc celeres diſcum, follem properate: pilamque,
Atque per adſtrictas retia tenta fides.
Tu tamen ante meo celebrabere carmine, laetos
Per ſtata qui revocas tempora, Campe, jocos.
Eſt locus: Halenſes vaſto de culmine muri
Aſpiciunt; placidis alluit Oenus aquis.

Urbs procul aſſurgit regali ſplendida luxu,
Dicta Tirolenſis prima, caputque ſoli.
Qua patet ardentem facilis proſpectus ad Auſtrum,
Et quatit umbroſas plurima ſilva comas:
Glungeſer intonſum tollens ad ſidera dorſum
Aeſtivam retinet ſole calente nivem.
Largazi ſequitur cautes, et cetera longe
Barbara, nec tantis nomina digna locis.
Frigidus adverſa Boreas ubi ſpirat ab ora,
Parrhaſiaeque nitent ſidera lenta ferae:
Quae ſedet in celſo Taurini arx inclyta ſaxo,
O quantum antiquae nobilitatis habet!
Pomiferas inter ſilvas, et florea prata
Oſtendit luteas ruſtica Roma domos.
O quam diſſimilis Roma eſt haec altera Romae!
Non tantilla, Rhemus dum fuit, illa fuit.
Ipſa tamen facies non exquiſita locorum
Blanda, neſcio qua, ſimplicitate placet.
Ruſticus eſt, qui nil, niſi magna palatia prenſat.
Quem fugit, et Reges incoluiſſe caſas?
De tot Nominibus, quorum mihi millia circum,
Nil ego deliciis confero, Campe, tuis.
Altius ire libet: Muſas, Helicone relicto,
Crediderim caſtos hic agitare choros.

Dixerit haec aliquis mendacis verba Poëtae,
Atque fidem numeris jactet abeſſe meis.
Dixerit haec aliquis mendacis verba Poëtae:
Non mihi narratur fabula: vera loquor.
Nuper ubi lentae ſubierunt taedia noctis
Liquere inviſum languida membra torum.
Jamque polum fugiens averſo pallida vultu
Luna pruinoſos praecipitabat equos.
Nondum finierat veteres Philomela querelas:
Excepit dubium lata feneſtra diem.
Cumque ego per caelum volvens vaga lumina, vidi
Sidera per vacuum rara micare polum:
Ecce (quis hoc credat?) doctarum turba Sororum
Adſtitit ante meos ore nitente pedes.
Obſtupui, mira perculſus luce: cucurrit
Non alias ſuetus cuncta per oſſa tremor.
Mox ubi pulſa animo nubes, mentemque recepi:
Viſa mihi eſt ſimiles fundere lingua ſonos.
Diva Cohors! Falſa trepidos in imagine vultus
Luditis? An coecum ſomnia vana premunt?
Dicite, num vera haec ſpecies? Non fallere noſtis
Numina veridico ſemper amata Deo.

Quis

Quis patria pulſas peregrinam quaerere ſedem
Juſſit, et ignotam ſollicitare domum?
Sic ego: ſic reliquas inter pulcherrima Muſas
Reſpondit precibus Calliopea meis.
Diſce tuam, qua noſtra beant te Numina, ſortem:
Quaeque fero, dixit, proſpera ſigna cape,
Non nos aut Helicon, priſcaeve Aganippidos unda
Jam tenet: enſe ferox abſtulit illa Getes.
Vix Phoebum ſua novit humus. cecidiſtis Athenae!
Odryſio premitur Graecia capta jugo.
Sed melius noſtro cavit polus aequus honori:
Altius Aonidum gloria calcat iter
Si locus eſt uſquam caris non clauſus alumnis:
Hic placet, et noſtro regia grata Deo eſt.
Huic favet, hunc oculo conſtans dignatur amico
Pieridum Genitor, Pieridumque chorus.
Dixerat: et ſocium Zephyris famulantibus agmen
Celſa per aëreas eſt comitata vias.
Ter laevum intonuit; caelo ter miſſus aperto
Phoebi ſplendidior lumine fulgor erat.

Augurium firmate: precor: ſacrata frequenter
Veſtris Numinibus viſite rura, Deae!
Quis mihi nunc ludos, millenaque bella juventae
Suggerat in viridi conſpicienda ſolo?
Ante reluctantem vincet nox humida Phoebum,
Et reduces mittet Cynthia blanda faces:
Quam mihi pars laeti narretur ſumma laboris,
Qui revocat vires, laſſaque corda levat.
Martis agonali non plaudant moenia ludo:
Hippodromus celerem non mihi jactet equum.
Quid tibi Pentatlum grataris Olympia? Majus
Hic aliquid, cedat cui tua fama, vides.
Saepe juvat ficto mentiri praelia Marte,
Et gemina in gemino figere caſtra loco.
Denſa vireſcentem complevit turba palaeſtram:
Alternant dubias ſpesque, metusque vices.
Ille fremit pulchro lauri ſuccenſus amore;
Hic ſibi cur caveat, ne ſuperetur, habet.
Per cava cum ſubito pila turbine nubila fertur, *
Haud ſecus, atque Jovis fulgura miſſa manu.

Emi-

* Pilâ reticulo lato excuſſâ, curſores ad metam properabant: quorum ſiquem adverſariorum quiſpiam eadem pila jam decidua potitus ferire ante ſtadium confectum poterat; palma ad partem adverſam abibat.

Emicat Euryalus, volucrique fugacior aura
Praecipiti summam vix pede tangit humum.
Utraque diverso miscentur castra tumultu;
Conscius est animi vix sibi quisque sui.
Hic vocat; hic revocat: citus effuge: vulnera fige.
Aurea multiplici sidera voce sonant.
Conclamantque, ruuntque, volantque, premuntque paventem
Euryalum cunctis agmina sparsa viis.
Haud secus, ac leporem, noto dum profugit antro,
Latrantum insequitur per vaga rura genus.
Ille autem varios ambagibus implicat orbes,
Nec, quod erat visus carpere, carpit iter.
Ter quater Ichnobates jamjam rapuitque, tenetque:
Ter quater eluso guttura dente crepant.
Talis per medios sese fert impiger hostes
Euryalus: celeres dat timor ipse gradus.
Dum procul aspexit pendentem in vulnera dextram:
Non solita librat mobilitate pedes.
Tela petunt laevam; dextram se vertit ad oram:
In dextram veniunt tela; sinister abit.
Dum metuit, signent imas ne vulnera plantas,

Infultent focii, loripedemque vocent;
Alter ad aligerûm vertit fe Daedalus artes,
Et vilem volucri corpore linquit humum:
Nam celer audaci fe tollit in aëra faltu,
Ludit et armatas in fua damna manus.
Alta volant ubi tela, cadit, nec fponte ruentem
In media pudor eft procubuiffe via.
Sed cave, quisquis ades, facias convicia fraudi:
Saepe dolus magnae pondera laudis habet.
Laus venit ingenio: quis enim reprehenderit artem,
Dum fugit haefurum Marte, vel arte probrum.
Non tamen ars cunctos potis eft evadere cafus
Saepe, quod haec meruit, fors inimica tulit.
Ille ubi non laefo certus pede tangere metam
Nulla fibi metuit vulnera, vulnus habet.
Mille triumphales repetunt hoftilia plaufus
Agmina: miles io, duxque triumphe! canit.
Stat pecus omne metu trepidum: ferus hinnit in auras,
Ferrea qui belli praelia novit equus.
Hujus ad exemplum notas in cornua vires

La-

Lanigeri ductor colligis albe gregis.
Non ſemel in patriam cupidus remeare viator
Subſtitit, attonitos voce morante pedes.
Obſtupuit, tacuitque domo progreſſa paluſtri,
Quae pigra ſub pigris rana coaxat aquis.
Quid ſequor ad tenuem neglecto flumine rivum;
Dum rapiunt ipſos gaudia noſtra Deos?
Vix pugnae ſua parta quies, laetoque per arva
Carmine victores inſonuere chori:
Proſiliunt Satyri ſilvis, lucosque relinquit
Faunus, amor nemorum, ſemicaprumque decus.
Plaudere nec dubitat Nymphe, quae moeſta loquaci
Rupe ſedet, truncos reddere docta ſonos.
Pan ovium cuſtos, naſo ſpectabilis unco,
Paſſibus huc properis per ſua prata venit.
Gaudet et agreſtes animare in carmen avenas.
Credite, capripedis vidimus ora Dei.
Ipſe caput vitreis Oenus Pater extulit undis
Corniger, atque udam fronde tegente comam.
Aſpice; florenti ſurgit nova ſcena theatro.
Majus an Alcidis dextra patravit opus?

Quan-

Quanta per ingentes torquetur machina gyros,
Quasque refert caelo praecipitata minas!
Quod genus hoc hominum? Quaenam poſt ſecula tales
Aut tulit, aut ſtupuit conſcia terra viros?
Gens nova Titanum ſummone rebellia caelo
Arma feret? Tutos num tegit aethra Deos?
Vix, puto, centenis manibus majora vibravit
Decertaturus cum Jove ſaxa gigas.
Haec ego dicta dabam, per amoenum ludicra campum,
Proſpiciens follis praelia paene puer.
Tum bonus Eurymedon, Grajis advectus ab oris,
Reddidit ad voces talia dicta meas.
Parce metu, ludos tantum, ſimulacraque ſaxi
Vana fugis. Trepidi cauſa timoris abeſt.
Tu tibi, quae fruſtra metuas, ſpectare videris,
Atque giganteum fingis, inepte, genus.
Saxa putas, nec ſaxa vides. Abſtracta capellae
Terga tegunt foedae viſcera tenta ſuis.
Eja age, quid trepidas? mendacem corripe molem.
Aëra nil praeter, quo tumet, intus habet.

Tum

Tum dextram arripiens metuentem, et vana trementem
Compellit volucris tangere texta globi.
Vix tetigi, riſii: riſi mea gaudia demens;
Vixque fides oculis eſt mihi facta meis.
Poſt ubi ſollicito ceſſerunt corde pavores,
Atque animo rediit, qui fuit ante, vigor:
Dic age, pergebam, terrae quae regna, vel urbes
Digna fuere levem prima videre globum?
Ante alios audax ficti quis turbine ſaxi
Intulit irato bella ſecunda polo?
Quem colit ars patrem? Qua traxit origine formam,
Venit et ad noſtros uſque retenta dies?
Dic, age: nil Phoebi te celant numina; ſacras
Qui tibi dat lauros, qui tibi ferre lyram.
His ego quaerebam precibus: non ille moratus
Conſequitur verbis ultima noſtra ſuis.
Nec breve, nec pronum eſt, ludus quem traxerit ortum
Dicere. Quae proavi nos docuere, loquar.
Annis quando aderit lapſis tibi ſerior aetas:
Fac memori doceas tu quoque voce tuos.
Tempus erat, Grajo quo concidit Ilion igne,
Tractaque captivo ſenſit aratra bovi:

Ne-

Neritius dubio peregrina per aequora velo
Quaerebat patrii littora cara soli.
Non illum aequoreae tenet insidiosa Calyp-
Regia, nec Libycae Lotos amica plagae.
Miscuerat Circe cantatis pocula succis,
Pocula sed cauto nil nocitura Duci.
Regna tamen fessa vidit fugientia puppi:
Caeruleum timuit per duo lustra Deum.
Venit ad Hippotaden, ventumque precatus amicum est.
Annuit hic; clausos addit in utre Notos.
Fama rei superat. Ludum vovet ille perennem,
Qui celebret laudes, Aeole magne, tuas.
Redditus inde suis gratam testantia mentem
Prima dat ignoti bella videre globi.
Si metuis, ne certa parum te fallat origo:
Accipe, judicio quae magis apta meo est.
Cum Sacra laurigero redierunt annua Phoebo;
Festa Therapnei constituere viri.
Adveniunt pompae; linquit sua tecta juventus,
Et currit laeto per vaga rura gradu.
Protinus in fulva luctas meditantur arena:
Tingit Palladius lubrica membra liquor.

Gau-

Mergere pars undis corpus, pars flectere collum
Gaudet equi: curſu certat hic; ille pila.
Induxiſſe graves amor eſt in brachia ceſtus:
Agmina, queis placeat, plurima diſcus habet.
Iam Titan medio ſummus fulgebat Olympo:
Par fuit exactum, par ſuperabat iter.
Ipſe ſuos praeſens Phoebus dum ſpecttat honores,
Ludentum cupiit ſe ſociare choro.
Venerunt Clariis tunc prima ſilentia Delphis,
Non auditurum voce rogante Deum.
Ignivomi vacuos currus traxere jugales:
Nec tamen aſſuetas deſeruere vias.
Supplicii memores veteris ſtata ſigna legebant,
Ne poenam lueret culpa ſecunda novam.
Cum celer a ſuperis noſtras delapſus ad oras,
Adfuit in medio conſpiciendus agro.
Diſſimulat Phoebum, mortales induit artus,
Aethereum ſpiſſa nube tegente jubar.
Fas mihi, Phoebe, graves terris vulgaſſe dolores,
Triſtia quos animo feſta tulere tuo.
Primus Amyclides, lato contendere diſco
Quisquis amas, ſocium me tibi, dixit, habes.

Nulla mora est, blandum ridens respondit Apollo.
Parce, puer, socium quaerere: Phoebus erit.
Inde suum claro confessus lumine numen,
Imposuit flavis laurea serta comis.
Attollensque gravem metuendo pondere discum
Torsit: in aethereas evolat ille plagas.
Vidit Amyclides, paribusque accingitur ausis,
Aonio cupidus non minor esse Deo.
Stulta quid incautum stimulas fiducia pectus,
Et petis in cladem certa pericla tuam!
Consurgit Zephyrus contra, discumque volantem
Excipit: in Juvenis praecipitatque caput.
Palluit exitium pueri miseratus Apollo:
Divinae lacrymas vix tenuere genae.
Haud secus ingemuit, quam dum Phaëthontis ademti
Usta sub Eridani fluctibus ossa tulit.
Inde ubi non taciti ruperunt pectora luctus;
Dicitur in tales lingua soluta modos:
Ah miserande puer! cerno tua funera; cerno
Me comitem fati crimen habere tui.
Ergone, qua socio poteras colludere Divo,
Haec tibi prima dies, haec tibi summa fuit!
Occidis Oebalide, ceu pulchri surculus agri,
Dum cadit in viridem falce resectus humum.

Ne tamen ulla mei non ſint monimenta doloris:
Sanguinea ſurges flos, Hiacynthe, nota.
Dixerat, et Grajos veteris pro pondere diſci
Juſſit ferre leves ad ſua ſacra globos.
Iſta Senex blanda puero mihi voce canebat.
Ite domum, Socii: nox ruit: ite domum!

Poſtrema Diſticha 15 ex Mſſ. Auctoris ſunt reſtituta.

* * *

ELOGIA HEROUM

Priamus.

Quae, Superi, veniunt oculis ſpectacula noſtris!
Heu, ſtupet in medio lingua retenta ſono.
Trojane ſanguineam migrat in Buſiridis aulam?
Theromedontiacas paſcit an illa feras?
Num pia ſacrilegam videre altaria caedem,
Et reus aethereo tutus ab igne fuit?
Hoſpitii ſic jura ſilent? nec vindice poena
Juſta Lycaonium plectitis aſtra nefas?

Heu mihi, non hospes crudelem ſtratus ad aram
Concidit: ad patrios Rex jacet enſe Deos.
Rex jacet Eois nuper clariſſimus oris,
Ad dominos populi cui jacuere pedes.
En Priamus, non jam Priamus, cervice revulſa,
Pnlveream foeda tabe cruentat humum.
En caput! en ſceptrum! en regni inſigne thiaram!
Dic age, quid Priami, quid modo Regis habent?
Verſa ruit flammis, triſtique immerſa favillae
Inferias caſu Troja dat ipſa ſuo.
Nil, Neptune, tuum; nil curas, Phoebe, laborem?
Nullane vis jaculi; nulla tridentis erat?
Moenia cur manibus Divum ſuſpenſa duorum
Vincere mortales non valuere manus?
Occiderint (aequus vidit ſi Jupiter) alta
Pergama, Dulichiis inferiora dolis.
At Priamum ſimili quae plectunt numina fato,
Quaeve Senex gladio non ſua facta luat?
Non aliter poteras Manes placare parentis
Aeacida indignum, Pyrrhe, parente genus?
Sternitur infido Polydorus ab hoſpite: diras
Troilus abjecto corpore paſcit aves.

Fallacique tuum qui fixit cuſpide patrem,
Femineus retulit vulnera digna Paris.
Quem ſua Tlepolemi decoravit funere dextra,
Miſſa Menaetiadis tranſiit haſta ducem.
Ipſe nec armipotens Graji pavor agminis Hector
Ad Dolopum naves victor inultus iit.
Laomedontiadem longaevum ſternere ferro
Qui potuit, plus quam barbarus ille fuit.
Barbara, ſaeva, ferox, immanis Graecia, canos
Regis, et ultorem ſpernere docta polum.
Crede, dabis poenas ſceleris, meritusque Caphareus
Sparget in hauſturo teque, ratesque ſalo.
Secula nulla ferent infandae oblivia caedis:
Horrebunt facinus terra, polusque tuum,
Cumque rogabis opem terras peritura, polumque,
Plaudet in exitio terra, polusque tuo.
Quid loquor? innocui nil hic peccaſtis Achivi:
Nil Graja nocuit proditor arte Sinon.
Non ea, cui Priamus ferientis victima ferro
Succubuit, dira de nece dextra rea eſt.
Non Juno Iliacas vertit, non Mulciber arces;
Non ſacra nocturno prodita ſigna dolo.
Vos quoque funeſtis convicia dicere fatis
Parcite Trojani triſtia buſta ſoli.
Hic favor eſt Veneris: taedas haec prima Pelaſgas
Sparſit in arſuras inſidioſa domos.

Haec vetitos Paridi thalamos, gladiosque paravit,
Et regem innocuum, dum juvat ipſa, necat
Hac duce multa feris mactantur millia bellis:
Ad Stygios veniunt millia plura lacus.
Semiviri Parides! Paphiae date thura Parenti
Si placet, atque adeo dulce perire malum eſt.

* * *

Decius junior pro Exercitu Romano Diis Manibus devotus.

Romulidum patres contra, populumque Quirini
Samniaci tulerant ſigna ſuperba duces.
Lecta manus juvenum, Romaeque infamia Caudi
Addiderant animos ad nova bella novos.
Fama petit celeri Capitolia ſumma volatu.
Bella jubet populus; Conſul ad arma vocat.
Nec mora: conſiſtunt adverſis agmina campis:
Vindicta in gladios hinc rapit; inde furor.
Concurrunt, geminantque inimicis ictibus ictus:
Exſuperant Scythicam ſpicula miſſa nivem.

Aequato gemini pugnant certamine Martes,
Mutuaque alterna funera caede cadunt.
Vulnera quot referunt, tot reddunt vulnera: nullus
Sanguineam moriens plangit inultus humum.
Inter utrosque volat dubiis victoria pennis,
Neſcia, queis veniat, quos fugiatque viros.
Horrida Samniacae veniunt in bella quadrigae:
Obvia crudeli corpora falce metunt.
Jam Romana labant ſubitis perterrita monſtris
Agmina; jam trepidae dant ſua terga fugae.
Non tulit hoc Conſul Decius: Proh Jupiter, inquit,
Maxime! Romulidis ultor, an hoſtis ades?
Ultor ades? populum ſpreta cur pace rebellem,
Omnia quae vincit, vincere Roma nequit?
Ergo iterum domito vincti ducemur ab hoſte,
Atque premet ſupplex furca pudenda caput?
Barbarus an victor Tarpeias ibit in arces,
Inque tua de te ſede triumphus erit?
Ante, precor, miſero tellus adaperta dehiſcat,
Quam patriae videam probra ſecunda meae.
Roma nocens tales meruit ſi crimine poenas:
En caput hoc! irae meta ſit iſta tuae.

Et vos, a Superis mihi maxima numina, Manes,
Qui colitis tacitas ad Phlegethonta domos:
Quae veniunt ſuprema mihi, ne ſpernite verba:
Nil, mea quod poſthac vota precentur, erit.
Non mihi magnificos ſtatuat poſt bella triumphos
Amplius haud oculis Roma videnda meis.
Quo feror, hoſtis eat. Similes a Dite favores
Hoſtibus atque ſibi qui petit, aequa petit.
Si Pater Auſonidas ſecum devovit Averno:
Samnitum in gladios et mihi facta via eſt.
Dixit, et adverſum properat moriturus in agmen:
Qua venit, hoſtili ſanguine tingit humum.
Haud ſecus, ac quando Libycis deprenſus in arvis
Horrida venantum fertur in arma leo.
Non illum terrent minitantis vulnera ferri:
Emicat, atque viam, cum via nulla, facit.
Talis erat, rapidi Decius cum fulminis igne
Ocyor in trepidos irruit enſe globos.
Arma per, et ſtrages hominum, calcataque fertur
Corpora: vix vires jam capit ipſe ſuas.
Me quoque fata vocant: ſimul hinc juvat ire ſub umbras,
Inquit; et a multo ſaucius hoſte ruit.

Adverſae trepidant ſubita formidine gentes:
Tela vibrant timida, nil nocitura, manu.
Conſcia Romulidis redit in praecordia virtus,
Inque Ducis miles funere victor abit.
Magne Deci! tibi plaude tuo tumulate triumpho,
Te patriae patrem patria Roma vocat.
Quemque vocat, flebit: vivo quae fata negarunt,
Exſpectant cineres laurea ſerta tuos.
Occidis, at victor: turpi devicta ſub hoſte
Ne caderet, caſu ſtat tua Roma tuo.
Scipiades alii laudent, magnosque Camillos,
Nil majus Deciis maxima Roma tulit.
Turba fuit, ſaevos armis quae contudit hoſtes,
Mors ſua cui poterat vincere, nullus erat.

* * *

Pius Aeneas.

Troja fuit: miſeris venit lux ultima Teucris:
Quae nequiit Mavors tollere, flamma tulit.
Tecta per, et muros atrox graſſatur Enyo:
Immanis ſtimulat pectora Graja furor.

Abripitur paſſis Priameia Virgo capillis,
  Vinclaque fert illa, qua modo ſacra, manu.
Non Clariis miſeram texere inſignia lauris,
  Ulta nec eſt Vatem laeſa Minerva ſuam.
Pulſa fugit templis pietas: fumantia Divum
  Limina ſacrilegi diripuere viri.
Aeneas rapido fertur jam cinctus ab hoſte
  Per medias paſſu non trepidante neces.
Conſequitur natus, clarae ſpes unica gentis,
  Ex humeris pendet, ſarcina grata, pater.
Attoniti mirum, Superi, ſpectaſtis amorem,
  Et Dolopum fletu non caruere genae.
Jupiter Heroem ſummo dum cernit ab axe,
  Talia fatidico protinus ore canit:
Accipite, et memores animis mea ponite dicta,
  Terra parens hominum, Caelicolumque genus!
Diruta ſi geminos tanta pietate tuliſſet
  Troja viros, nunquam diruta Troja foret.
Non tamen, Aenea, patriae cum moenibus urbis
  Victa cadet famae gloria digna tuae.
Auſpice te ſuperam ſurget nova Troja ſub auram;
  Qualis in empyreis ales Eöa plagis:
Ultaque Dardanidas proavos, in vincla Mycenas,
  Captivosque trahet, Marte favente, Duces.
Quin ſeptem geminis domitum de collibus orbem
  Deſpiciet victum, quae modo victa fuit.

Sola

Sola reget reliquas Proles Aeneia gentes,
  Juraque cognata cum pietate dabit.
At male cur pereunt ſaevis tot millia bellis?
  Cur veniunt aequo fulmina crebra polo?
Cur tulit ante diem natis Libitina parentes?
  Cur toties rapto pignora patre gemunt?
Cur pia de cari buſto ſervata mariti
  In ſobolis mater funere triſtis iit?
Cur haeres doluit lucro deceptus inani,
  Prodidit et nullas arcula pauper opes?
Diſcite, quae lateat tantorum cauſa malorum:
  Diſcite, quem laeto ſtamine Parca beet.
Laeſa petunt Nemeſin ſpretorum jura parentum:
  Ad ſuperos ducit non violatus amor.
Hic patrios celeri funeſtat morte Penates:
  Sed gravior quovis filius hoſte fuit.
Deſertam dubio qui ſpectat lumine matrem:
  Longaevique dies cui doluere patris:
Sentiat ipſe pares natorum crimine poenas,
  Et mendicata vivat egenus ope.
Limina mille adeat cunctis miſer exul in oris,
  Atque cubet ſurdas pervigil ante fores.
Mors erit in votis, nec vota miſerrima caelum
  Audiet, in luctus vivat ut ipſe ſuos.
Cum laqueo infamis ſceleratos ruperit annos,
  Ad Stygias rapiet Cerberus ultor aquas.

Lex haec certa manet: cari genitoris amantes
Ridebunt vanas orbe cadente minas.
Oedipodas mala cuncta prement: Polus ipſe ſceleſtos
Si tegat, inviſum terra vorabit onus.

* * *

EPISTOLA,

qua Amicam ruſticanam urbana altera ad ſe invitat.

Chloris Galateae.

Fauſta refert, et fauſta vovet, ſociaeque ſalutem
Deſtinat hanc quondam ruſtica Nympha ſuae.
Noſcimur? an mentem ſubeunt oblivia noſtri;
Aut, a quo veniat littera miſſa, rogas?
Quae fuerim, noſti: quae ſim, neſcire fateris,
Nec modo, quae Chloris ſit tua, noſſe vacat.
Nam ſimul, ut magnam fugiens migravit in urbem,
Sublata ex oculis, ex animoque tibi eſt.

Nempe suas nescivit opes, ignotaque Nymphis
Moenia Chloris amat; te tua rura juvant.
Perfida contemsit socias, patriamque, Laremque:
Pauper ad externos jam sedet illa focos.
Imperiosa tremens Junonis limina servat,
Et tumidae supplex jussa veretur herae.
Aut ubi non mundis purgavit sordida scopis
Tecta, trahunt servae pensa diurna manus.
Nunc experta dolos urbis, variosque tumultus,
Quos male despexit, respicit illa domos.
At tibi non ficto ridet sors aurea vultu,
Datque locum summas inter habere Deas.
Haec tua mens (longo bene te si novimus usu)
Dum tibi, quae dedimus, scripta legentur, erit.
Forsitan et dices, Chloris, quos stulta dolores
Ipsa sibi petiit, sentiat ipsa diu.
Sentiat o, faveantque tuis pia numina votis!
Chlorida, quod petiit, dent, precor, esse diu.

Illa ego ſum (ſociae quid enim bona parta fateri
Non ſinit, et poſitis vera referre jocis?)
Illa ego, quae gradior mediam Regina per urbem,
Atque traho famulos ad mea juſſa greges.
Quam cingunt ſociae; pronum quam vulgus adorat;
Cui ſtudet officio quisque placere novo.
Quid referam, quaeris? mutatae gaudia vitae.
Haec tibi non fictus ſcribere juſſit amor.
Hic mihi primus erat, qui, rumpe ſilentia, dixit:
Neſcia ſit ſortis ne Galatea tuae.
Noſtra quidem ſpernit, ridetque palatia. Crimen
Siquod id eſt, vanae ruſticitatis erit.
Spernit; at ignorat nunquam ſibi viſa. Cupido
(Quis neget?) ignoti non venit ulla boni.
Scribe, refer ſociae melioris commoda ſortis:
Ruſtica ne porro, quae fuit, eſſe velit.
Scribe, quid in vili ſqualet Galatea ſpelaeo?
Scribe, pari tecum fulgeat illa gradu.
Saepe reluctanti ſunt haec audita: volenti
Scribere dextra ſuam ſaepe negavit opem.
Nam, tibi ne fallax mendacia fingere dicar
Gaudia, mens nobis augur iniqua fuit.

At ſemel audebo: quid enim ſcripſiſſe nocebit?
Rure migra, celſas incole, Nympha, domos.
Urbs melior: miſeris placeant cultoribus agri:
Te norint dominam regia tecta ſuam.
Nil peto, quod placidae moveat faſtidia menti:
Haec tibi, ſi praeſens videris, ipſa petes.
Parce tamen ſincera parum mea credere verba:
Non fingit ſimiles mens niſi laeva metus.
Audior? ancipites pulſant tua pectora motus.
Eia age (quid dubitas?) huc mihi teſtis ades.
Dic, rogo, magnificas regum quam ſpernere ſedes,
Et juvat in vili delituiſſe caſa:
Dic, rogo, quid toto ſpectatur pulchrius orbe?
Dic, rogo, quis blanda blandior urbe locus?
Aſpice, quae Pario ſurgunt candentia ſaxo
Tecta, vel aethereis invidioſa Diis.
Hic radios nunquam nimios paſſura, nec imbres
Porticus; hic medio ſtructa theatra foro.
Inde novum (Rhodiae cedant miracula molis)
Celſa ſuper nubes culmina tollit opus.

Aërii

Aërii miris fragrant hic floribus horti,
Silvestresque gerit vasta columna comas.
Exulat hinc Satyrumque genus, Faunique bicornes,
Quosque tenet crudos rustica silva Deos.
Candida sed Venerum spatiantur millia, dulci
Aspirans umbra quas, Amaranthe, foves.
Aurea gemmifero pendent redimicula collo:
Defluit in teneros aurea palla pedes.
Cum renuunt comti gemmarum pondera crines,
Cingit odoratum myrtus amoena caput.
Nardumque, et violas, narcissos, candida carpunt
Lilia, non vestro lilia nata solo.
In gyrum pariter Charites sua brachia nectunt,
Et salit in mediis ipse Cupido choris.
Hic melior cytharae fidicen modulatur Arion,
Artificesque juvat garrula lympha sonos,
Quae surgens varios, in seque reversa per arcus,
Subjectam pluvio flumine spargit humum.
Aspicit haec, rutilo qui fulget Phoebus in axe,
Multiplicique leves Iride pingit aquas.
Aureus, ecce! Jovis Ganimedes pocula miscet,
Ambrosias Epaphi dextra ministrat opes.

Ipſe licet venias, Nyſae de vitibus uvam
Negligis, et calices, Bacche Falerne, tuos.
Spreta Ceres, veterem mutata pudore colorem,
Aſſidet, et flavas fit rubicunda genas.
Qui natat in citreo peregrinus cortice ſuccus,
Et quae, Phylli, tuis glandibus unda fluit,
Guttura nectareo perfundunt flumine: gaudet
Indica mellitos addere canna ſales.
Apponique novo cernas gemmantia vitro
Poma, nec Aſſyriae fercula nota gulae.
Poſt ubi jam ſero ceſſurus veſpere Phoebus
Occiduum feſſos in mare vertit equos:
Scena vocat, rapiunt cupidas ſpectacula mentes
Alternant placidos voxque, fidesque ſonos.
Jam videas Helenen Spartanas linquere terras,
Dardaniumque ſequi per freta ſaeva Parin.
Prona favet, Zephyrosque rati Cythereja miniſtrat:
Pulcher Amor ſumma navita puppe ſedet.
Jam ruit Oechaliae murus: mittuntur Averno
Irrita qui laeſae federa pacis amant.
Jam promiſſa diu, ſed non data ſaepe roganti
Herculea rapitur ſponſa parata manu.
Omnia qui vicit, blandos non vicit amores;
Victorem ſuperat Lyda puella virum.

Sicelides errant per florea rura puellae:
Omnibus eſt idem texere ſerta labor.
Dum ſocias inter viridi ſpatiatur in arvo
Perſephone, Stygiis pallida fertur equis.
Ipſa gemit; revocant Nymphae; vocat illa vocantes,
Percutit et ſciſſo pectora moeſta ſinu.
Ter Clymene exclamat; Clymeneque! Proſerpina reddit,
Ter Dea nec Clymenem, nec videt illa Deam.
Diſcedunt Erebi portae; regalia Ditis
Tecta patent; candens atria fulcit ebur.
Laetitiam revocant inſueta in pectora Manes:
Miratur dominam ſubdita turba novam.
Immemor Euridices Orpheus, priſcique doloris
Tangit Apollineae fila canora lyrae.
Ad numerum vaſtae motant ſua brachia cedri;
Deſcendunt rigidis excita ſaxa jugis.
Omnia cum fingat fallax haec facta theatrum,
Non niſi res vero creditur acta modo,
Quisquis adeſt, plaudit, mirum laetatus, et artem,
Pectora quae ſollers decipit, ipſe probat.
Jnterea medio dum nox venit humida caelo,
Viliaque ignavus corpora ſomnus habet:

Itur

Itur ad auguſto conſtructa palatia cultu:
Hic patet hoſpitibus coena ſuperba ſuis.
Stulta quid haec memoro tibi non credenda? Sororem
Si mentita putas fundere verba, veni.
Sidonio fulgent, Phrygioque labore tapetes,
Extinctam revocant lumina mille diem.
At vos ruricolum, viliſſima numina, Divae
Vivitis indignos per vaga rura dies.
Vos modo campus habet, ſoles qui ſemper iniquos
Paſſus alit ſicco gramina rara ſinu.
Jam vos poſcit ager; pecoris jam cura tuendi
Colligit, o tantis munera digna Diis!
Vilia quid memorem, triſtis convivia menſae,
Et faſtiditas tam mihi ſaepe dapes?
Cyclamini, caules, fungi, ſylveſtria corna,
Rapaque ſunt ſoliti portio ſumma cibi.
Quin tibi delicias caprini copia lactis,
Panis et ambeſi fruſtula pauca ferunt.
Vix ubi ſera quies longum finire laborem
Imperat, et clauſae conticuere boves.
Non pudet, o nimium, nimiumque oblita tuimet!
Languida ſtramineo ponere membra toro,
Et captare breves inter praeſepia ſomnos;
Dum vigil invitam gallus in arva vocet.

 Aſpi-

Aſpice, cara tuam Nymphae, precor, aſpice dextram.
Aſpicis? En agri proſtat imago tui.
Qualis enim variis tellus riget aſpera ſulcis,
Tam tibi ceu multo vomere ſciſſa manus.
Squalida quae late tibi circum tempora pendent,
Miſcet inornatas horrida ſilva comas.
Si te quis videat, vultu praeferre Meduſam
Dicat, et occurſus vix ferat ille tuos.
Inde capit reducem turpi domus horrida fumo,
Cacus, et immanis quam Poliphemus amet.
Obſidet en laceras deformis Arachna feneſtras,
Pertexitque putri ſtamina ducta pede.
Olla, cadus, calices ſqualent, nigrique tapetes:
Cuncta jacent multo pulverulenta ſitu.
Finge tamen Libycae tua rumpant horrea meſſes,
Et tibi dent plenos vina Falerna lacus.
Gemmaque nec collo deſit, nec crinibus aurum:
Purpureo venias conſpicienda ſinu.
Quid tamen iſta juvant, ſaevis ubi Martius armis
In male defenſos irruet hoſtis agros?
Mars veniat: viduae lugebunt vitibus ulmi,
Raraque vaſtato ſurget ariſta ſolo.

Mars pecus e ſtabulis, teneros cum matribus agnos,
Et rapit agricolas in ſua caſtra boves.
Impius effracta loculos populabitur arca
Praedo: dabit placidam nemo rogatus opem.
O quoties rapido tectis flagrantibus igne
Nil profecturas ferre paraſtis aquas.
Hoſtis adeſt, additque avidis nova pabula flammis.
Flebis? erit luctu laetior ille tuo.
Tum procul incomtos foedum lacerata capillos
Pauperis aſpicies triſtia buſta caſae.
Exul, inops ibis peregrinos viſere montes,
Antraque ſilvicolis vix bene nota feris.
Interea Mavors noſtris pro moenibus adſtat,
Et jubet hoſtiles hinc procul eſſe minas.
Millia multa virum, ſaevoque interrita bello
Robora, dant fidei pignora certa ſuae.
Aere cavo ſubitam late vomit horrida mortem
Machina, curſuras quae premit alta rotas.
I nunc, et patrii demens cape gaudia ruris!
I nunc! urbanas ſperne ſuperba domos.
Non tamen indignor: ſed conſulo. Nympha roganti
Obſequere, et partis utere, cara, bonis.

Urbs tibi noſtra patet; tibi gaudia mille parantur,
Gaudia vix animo concipienda tuo.
Pone metus igitur, ſociam te junge ſorori,
Atque hilares mecum divide, Nympha, dies.
Femina ceu principis picto fulgebis in oſtro,
Inter et urbanas conſpiciere Deas.
Hic tibi conſurget meliori Lucifer ortu,
Et nova cum reduci gaudia luce dabit.
Blandior hic, placidumque ferens cum melle papaver
Intrabit cupidae membra tenella ſopor.
Non metues tetricas pingentem Morphea formas
Aurea ſed laetae ſomnia noctis erunt.
Cara, veni, tantamque volens amplectere ſortem:
Ocyus ut venias; eſt mora longa: veni.

---

* * *

EPISTOLA RESPONSIVA.

Galathea Chloridi.

Hanc pro ſubmiſſa nuper Galathea ſalutem
Mittit ad urbanam ruris alumna Deam.
Scribis, ut ipſa fruar, quam ſpondes optima, ſorte,
Et patrii ſpernam jugera pauca ſoli.
Scilicet exſpectant me gaudia mille: quod optem,
Nil erit; immenſas urbs tua jactat opes.
Sidonidum textis, gemma cumulabor, et auro:
Plus, mea quam valeant poſcere vota, feram.
Ibo triumphales princeps invecta per arcus;
Meque colent flexo femina, virque genu.
Vix ea Mercurius promittat gaudia, ſummi
Si jubeat ſuperas in Jovis ire domus.
Da veniam faſſae: mens tanti culmen honoris
Non capit, et merito eſt altior illa meo.
Credere nec propero, nimium ſecura pericli:
Tarda ſolet magnis rebus adeſſe fides.

Non ego fum, picto fallat quam gloria fumo:
Me mea paupertas; te tua regna juvent.
Ruftica defpicior? totum fi cafta per aevnm
Vixero; fim quamvis ruftica Nympha, fat eft.
Si collo fuerint gemmae, fi crinibus aurum:
Gemma, color, menti quae bona tanta feret?
Aurea, crede mihi, non funt, quae fubdolus auri
Objicit incautis dona timenda nitor.
Aurea te recreant; me candida. Nymphae
Palla placet, fimplex, virgineumque decus.
Quod videor fparfis Furias imitata capillis,
Fallor? an haec vultus crimina vera mei?
Comta quidem nunquam, tamen haud oblita decori
Invidiam fugio; fimplicitate trahor.
Ut nec multa nimis formae mihi cura tuendae:
Sic ea, quae decuit, non, puto, nulla fuit.
Rüftica fum: novi: patrii nec poenitet ortus:
Vilibus afficior, pulchra nec effe peto.
Pulchra fat eft, vulgi prudens quae negligit ora,
Et foli metuit difplicuiffe fibi.
Cenfores oculos dum refpicis anxia, culpam
Non fugis: ornatu proderis ipfa tuo.
Quae colit innocuos nulla fine labe Penates,
Nec nifi virgineis it comitata choris,
Cyn-

Cynthia, vulgari venit aſpicienda paratu,
Pluſque Deam virtus, quam ſua forma juvat.
At Paphiae contra Mater foediſſima gentis
Fallere quaeſito picta colore petit.
Induit illa quidem, quam non habet improba, formam,
Hacque putat tacitos arte latere dolos.
Nil agit: ut noſci fugiat, linguamque procacem
Cauta premat, facies, quae ſit, et unde, docet.
Nonne vides? digito ſummis monſtratur, et imis:
Notior in trivio fabula nulla ſonat.
Hanc puer, hanc juvenis, quin et prudentior aetas,
Hanc gravis obſcuro cum grege ridet eques.
O quoties mordax Satyrorum turba cachinnum
Suſtulit, artifices dum tulit illa gradus!
O quoties pleno Thais peregrina theatro
Audit, ad indicium docta rubere ſuum!
Tu cave, Narciſſi dicat te fama Sororem,
In facie captus qui miſer ipſe ſua eſt.
Ipſa ego ne forſan mea ſit mihi forma pudori,
Admonitu diſcam cautior eſſe tuo.

Nos genus ignavum, ſimplex, abjectaque turba
Incolimus viles, horrida luſtra, domos.
Nos quibus incultam querno de ſtipite mentem
Silva dedit, veſtis quae ſit amanda, latet.
Si veniam tibi, Nympha, comes, maleſanaque fictas
Urbis delicias, et tua vota ſequar:
Quos riſus, quae probra feram? quam comta videbor
Ruſtica Gorgoneis cincta Megaera comis?
At mea me talem non horret patria: nulli,
Torva licet, juſti cauſa pudoris ero.
Dum coenae faciles; ſueto condita labore
Fercula dum ſatient; dum beet arva Ceres;
Dulcia dum nivei non deſint flumina lactis,
Obviaque urentem quae levet unda ſitim:
Nulla, puto, patriae venient faſtidia terrae:
Quae Galathea fuit ruſtica, ſemper erit.
Sit procul a nobis regali turgida faſtu
Pompa: ſuas habeat regia Chloris opes.
Si fluat hic placidos, ut fluxit, vita per annos,
Quis labor inſidis eſt caruiſſe bonis?
Perpetuo populi ſtrepit urbs clamoſa tumultu;
Alternant ſimiles noxque, diesque metus.

Lux venit: infeſtis pulſantur litibus aures.
Lux abit: in trepido rixa cruenta foro eſt.
Aeſtuat hic mentem nimio male victus Jaccho,
Et jacit ad madidas ebria verba fores.
Ille faces properat: gladios ciet ille, necesque:
Horrida civili praelia Marte ſonant.
Andabatum ſtolido gaudet genus omne duello
Figere per caecas vulnera caeca vias.
Nox erat (haud fingo: memini, narraverat Aegle,
Dum petiit noſtros urbe reverſa Lares)
Nox erat: in tenebris per amicae vulnera dextrae
Mixtus fraterno ſanguine ſanguis iit.
Frater adhuc vivas; vivat tibi frater, in enſes
Egerit ignaram nox niſi tetra manum.
Innocuam memorem quid te peccaſſe, feneſtra?
Luminibus venit ſaxea grando tuis.
At male quid jacto? Veniam dabis optima Nymphae.
Scis, didici ſtolido quaelibet ore loqui.
Illa ſapit melior, quae divite femina collo
Pauperis una gerit praedia cuncta viri.

Illa ſapit, lautae cui poſt convivia coenae
Stertenti medio Phoebus in axe micat.

Pauca ad abſolvendum Auctori deerant: quorum tamen in Mſſ. nihil comparet.

BIBLIOPHILI

LIBRARIAM SIBI SUPELLECTILEM GRATULANTIS PROSOPOPOEJA.

AUCTORE ANONYMO

Eſt operae pretium etiam Muſae Bohemicae quaedam in hac Collectione exſtare documenta: quorum hic interim bina ſubjiciuntur, duobus alium in locum reſervatis. Obtinui ea a Clariſſ. Viro Johanne *Nep. Richtero, Geſnenſi Canonico. Nomen, aetatemque Scriptorum impertire non potuit. Interim priori carmen aliud verſu hexame-*

xametro eſt additum, idque ab eadem manu: quod cum in Rottfiſcherianae Vitae hiſtoriam excurrat latius, et, pro temporum ingenio, non raro malignius: etiam aetalis propius conſtituendae copiam fecit. Videtur itaque, divinatione inde inſtituta, Elegia lucubrata eſſe ſub annum circiter hujus ſeculi 54, aut 55: quo ego tempore Philoſophiae dabam operam. Argumentum ceteroqui ſatis habet exquiſitum, et rei librariae, ac litterariae Amatoribus haud dubie jucundiſſimum.

Vos o ſummorum monumenta colenda virorum,
E Jove prognatae munera ſacra Deae!
Portenta ingenii! facunda oracula pennae!
Doctrinae effuſae pignora cuſa typo!
Vos magnes, vos theſaurus, mea vosque voluptas;
Vos nutrimentum, vita, decusque meum!
Antiquis quod erant de ſaxo, aut aere Penates,
Hoc mihi vos eſtis, numina docta, libri!
Lux quam grata oculis; cupido quam grata palato
Fercula; quam ſiccis pocula grata labris:

Tam sunt grata mihi procusa volumina prelo,
Pervigil ad lychnum quae labor, arsque parit.
Non ita Aristaeus volucres adamabat Hyblaeas,
Dulcia quae carpunt pabula nata thymo:
Non ita dilexit, cui detulit oscula, Morum
Crispus; vos ut ego, gaudia nostra, libri!
Tanti ego vos, quanti Cerealia dona Celides,
Aut niveo tumidas vellere Mopsus oves:
Quanti gemmiferas vites in collibus Evan,
Floraque narcissos, lilia casta, rosas:
Quanti delatus peregrinis institor oris
Gazas, et clausas gurges avarus opes.
Aequius evelli mihi dentem faucibus istis,
Rescindi auriculas, articulosque feram;
Atque mihi vestro subduci ex ordine quemquam,
Qui mentem possit pascere suave meam,
Vos mihi non modico, fateor, saepe aere stetistis:
Per vos o quoties zona gemebat inops!
Sed quantum juvet in vos impendisse, quod imo
Bulga sinu gessit, nunc quoque cerno lubens.

Non ſumtus in inane unquam volitaſſe putabo:
Aes neque Zona putet, quod dedit ante, ſuum.
In merçes varias hominum dementia fertur:
Cur mihi non liceat gaudia docta ſequi?
Sumtibus heu quantis numeroſos iſte caballos
Nutrit, quos genuit Thracia Marte ferox!
Queis prô impenſis Indas fovet iſte volucres!
Hic armillatos, agmina fida, canes,
Hic nemorum ſpoliis, velut alter Apicius, implet
Menſas: Daedaleas excitat iſte domus.
Veſtibus hi Phrygiis, multoque rigentibus auro
Turgent, immenſum ſyrma trahuntque ſolo:
Adſcito quae nempe habitu, cultuque ſuperbo
In ſe oculos hominum vertere, et ora ſolent.
Nil ſane invideo: luxu ſibi plaudat in iſto;
Quiſquis in hunc patrias dilapidavit opes:
Marmoreis habitet veſtita cubilia cruſtis,
Quae cultu referant templa ſuperba Jovis:
Centum magnifico numeret penetralia luxu,
Turgentes molli centum et odore toros:
Oſtendat tripodas, pleniſque triclinia menſis,
Et pretio centum ſigmata facta pari:

Aurea miſcendo demonſtret cymbia Jaccho:
Jactet ad innumeras aurea vaſa dapes:
Exhibeat fulvo lanceſque, orbeſque metallo
Factos, quaſque penus farta recondit opes:
Contegat, eſto, alium Tyrio de murice veſtis,
Limboſque auratos ſrenet habena nitens:
Exuviis volucrum turgeſcat fronte galerus:
Vertice ſupremo gemmea flamma micet:
In quadram veniat, quam Chaonis arva ſaginant,
Perdix, et volucris Phaſidis orta ſinu.
Flamma foco crepitet, lucem fumuſque diurnam
Obſcuret; pinguis ferveat Aetna rogo;
Bulliat ollarum turma hinc, hinc agmen ahenum,
Hinc iſthinc veruum ſtrideat usque phalanx:
Quadrupedum, bipedumque genus lento igne cremetur,
Ingluvies quidquid luxurioſa cupit:
Nil his allicior: nec magni haec munera duco,
Quae ventrem, luxum, mollitiemque fovent.
Inclyta me rapiunt ſummorum exempla virorum
Quorum divitiae, ac eſca fuere libri.
Me rapit Antiſtes ſummus, Rectorque ſupremus
Chriſtiadum, quintus nomine, reque Pius.

Venales oſtendit ei quis, neſcio, gemmas
Hoſpes ab Eoo quas tulit orbe recens.
Summus at in libros vertens ſua lumina Praeſul:
Pluris, ait, gemmae hae, Sardonichesque mihi,
Quos non Oceanus ſpumans, non Indica tellus,
Sed vis ingenii, Pallade tincta, parit.
Me movet Heſperiae Rex clarus laude Philippus,
Qui libros humeris tranſtulit ipſe ſuis.
Admonuit forte hunc trabeato ex ordine Princeps,
Regia ne pergat ſubdere colla jugo.
Cur, at is oppoſuit, Rex hunc non pendat honorem
Libris, qui Regem ſceptra rotare docent?
Exhibet Aegyptus Philadelphum; Gallia primum
Nomine Franciſcum, Borbonidumque decus.
Exhibet et Carolum felix Germania; Sixtum
Aenotris, quintum nomine utrumque ſuo.
In mentem veniunt alii tot pace, ſagoque
Conſpicui Reges, magnanimique Duces,
Quorum munifico ſpatioſa palatia ſumtu
Undique collectis enituere libris.

Tantae essent utinam mihi opes! vestigia quantum
O vellem numquam sat celebranda sequi!
Sed tenuis nervus, paupertas curtaque multos
Haud libris sumtus perpetuare sinit.
Sunt, scio, qui scrinnis millena volumina censent:
Tanta penus non est nostra, nec esse potest.
Quosquos ergo levis dederit profundere sumtus
Arca, hos deposcent docta analecta sibi.
Jucunda hinc inter chartas mihi tempora current,
Cum mutis sermo mutus eritque mihi.
Et quidni, paucos satius sit perdere nummos,
His quam lascivam velle fovere gulam?
Vos namque, o libri, non pascitis arte palatum;
Sed mentem, cujus munere vivit homo.
Pascitis illecebris, quales negat Attica tellus:
Nec vernans imo parturit Hybla sinu
Illecebrae hae vestrae sunt dogmata Pallade digna,
Qualia caelesti nectare plena fluunt.
Ut rutilum fossor de rupibus eruit aurum,
Aut rorem Hyblaeum stridula sugit apis:

Mellea ſic bibitur doctrina ex ubere veſtro :
Sic plenis pietas, relligioque labris.
Quod docuere Patres, noſtri et tenuere Parentes,
Tranſtulit in veſtros penna diſerta ſinus.
Mentibus illorum quae quondam lumina caelum
Intulit, his omnis pagina veſtra nitet:
Majores offert gazas mihi veſtra ſupellex,
Quam Dea quas cornu divite caeca gerit.
Hinc ergo ſcelerum nutrix, hinc cede volupta,
Cumque tuis gemmis cede, ſuperpa Tyrus.
Hinc Chloris, redimita roſis, Pomonaque cede,
Cumque tuo procul hinc cede, Diana, choro.
Plures illecebras mihi docta volumina praebent:
Namque inibi, quidquid mens bona poſcit, habet.
Exlegi indulge Genio, dapibusque ſagina,
Si lubet, ingluviem, Sardanapale, tuam.
Quidquid, quod nondum novi, cognoſcere cordi eſt,
Diſcere tranquille hinc, et ſine voce datur.
Seu namque ad caelum ſtudioſam vertere mentem,
Curave virtuti volvere ſacra ſubit:
Seu chartis levibus deſcriptam viſere ſphaeram,
Diverſas oculis et peragrare plagas :

Seu libeat claros veterum percurrere faſtos,
Atque in prima retro ſecla referre gradum:
Ingenii calamo ſeu texta expromere noſtri,
Eloquii aut ſpecimen prodere cauſa petat:
In promtu en habeo, quod poſco volamina cara,
Ac velut in ſpeculo cuncta videre datur.
Ah quoties ſteterat mea penna molaris ad inſtar,
Quae ſubſiſtit aqua deficiente rotae!
Per vos unda mihi cataractis fluxit apertis
Largior eloquio ſuppeditata meo.
Non mihi tanta quidem doctrinae copia; quantam
In multis aliis docta Lycea ſtupent.
O quot ego ſtadiis diſto ſejunctus ab illis,
Queis lauri defert ipſus Apollo decus!
Quod tamen Aoniae ſim pars (non ultima) turbae,
Haec cadit in noſtros gloria tota libros.
Omnis, quantalibet, laus noſtro parta labore
In vos, o libri, fluxerat unde, redit.
Vellem ego teſtari, vellem notum omnibus eſſe,
Quo ſitis pretio, quoque in honore mihi:
Vellem vos Tyrio velent vaccinia ſucco:
Nam tantis meritis convenit iſte color.
Vellem ut charta croco, minio limbique notentur,
Aurea ſublimi cornua fronte micent:

Vellem

Vellem, ut vos ſcalpro caelatae Mentoris arcae,
Et nitida ſervent ſcrinia picta manu.
Attamen ornatus haud, credo, expoſcitis iſtos,
Quos nec pauperies noſtra latere poteſt.
Id ſolum petitis ne depaſcantut edaces
Vos blattae, pulvis dedecoretve reſes.
Inque oculis modo verſemur, manibusque teramur;
Dicitis, ac noſtri cura ſit iſta, ſat eſt.
Hoc ergo dabitur largum; nam quis neget iſta
Vobis, unde ſuas, quas habet, hauſit opes?
Praecipuus pulchro obveniet locus ordine vobis:
Vos eritis clauſtri flosque, decusque mei.
Cuivis e vobis ſcito diſcrimine certa
Claſſis erit, cuivis certus eritque locus.
Hic Cicero Arpinas, Romanae gloria, ſuadae;
Atticus eloquii dux ibi pone colet.
Doctior hic Paulus genitore Manutius Aldo;
Quique aliquod ſuada nomen ab arte gerunt
Iſthic Andinus vates, Naſo, atque Tibullus,
Multaque Phaebeo numine tincta cohors;
Illic qui calamo veterum monumenta diſerto
Commemorant, Tacitus, Livius, atque Nepos;

Centumque auctores alii, ſacri, atque profani,
Compoſti venient ordine quiſque ſuo
Utque agnoſcatur, rutilo ſignata metallo
Terga geret, nomen proferet atque ſuum.
Deſertos nec ſtare ſinam, nec pulvere lapſo
Foedari: volvet vos mea ſaepe manus.
Maeonios ego jam flores libabo, thymosque
Et joca, quae vates Bilbilitanus habet.
Jam Sulmonaeos decurram cautus amores,
Jamque iterum illecebras, blande Tibulle, tuas.
Jam Tejis tenero fidibus cantata Bathillo
Carmina, Caſtalio carmina digna Deo;
Jam qui divina vernant Aeneide flores,
In proprias ſatagam vertere ſaepe dapes;
Nullaque, quae latitant doctis dulciſſima libris,
Effugient curas mella, favique meas.
Heſperium non ante rotas ſol flectet in aequor,
Nectare quam tinctum me ſatis eſſe putem.
Atque animi quoties ſeu vincto, ſive ſoluto
Eloquio ſteterit promere ſenſa mei:
Vos toties cortina eritis mihi Delphica, nodos
Quae dubios ſolvat, conſiliumque regat.
Quoque loco priſci proprios habuere Penates,
Hoc eritis pariter vos in honore mihi.

Vo-

Vobis confecrato dies ego quasque per horas,
Et juſſu cedet Morpheus ipſe meo.
Quin ſopor, eſto, gravis feſſos oppreſſerit artus:
Per ſomnum ſpecies ſe mihi veſtra dabit.
Ridebunt alii: ridendaque forte videbor
Non nullis librûm blatta, locuſta, culex.
Non tamen audita haec penetrabunt pectus ad imum,
Nec mihi dedecori, credo, cavillus erit.
Proſcindunt me homines: nihil inde, ait Euclio, nummos
Si modo ſaepe meos volvo, lavoque, mihi eſt.
Dicam ſic et ego: Me carpant, eſto, quid inde?
Dum doctis liceat me ſatiare libris!

KLAWTOKAE LAMENTA

DE GLATTOVIAE INCENDIO.

Fragmentum Anonymi.

Inducitur hic Klawtoka quaedam, tanquam Mater, et Fundatrix urbis Glattoviensis, in hujus incendio ab umbris suscitata. Quodnam in tempus eventus tristis inciderit, me oppido fugit: nec id persequi magnopere attinebat. Sed quoad ex scripturae charactere duci conjectura potuit, est elegia priore, quam dedimus, aliquanto recentior. Neque vero ejusdem aspernanda videatur brevitas; tum quod Poëmatii cujusdam majoris, vario carminum genere adornati, pars est quaedam, ac veluti inchoatio; tum quod et ipsa interim spiritus sapit poëticos, luce publica non indignos. Cetera, quae ibidem intexuntur, elegiaca non hic visum est excerpere; quia coagmentatione reliqua non perspecta minus possent placere. Totum autem impertire non hujus foret propositi.

Quis

* * *

Quis tragico ſurdas ululatu vellicat aures,
Arida nec patitur membra quiete frui?
An vigilo; an mentem fallacia ſomnia ludunt?
Horribilis ſenſus terret imago meos.
Mendaces depone metus; nam lumina viſis
Morpheus horrendis ludere nocte ſolet.
Forte Charon cymba ſulcavit flumina Lethes;
Cerberus hinc Stygias ejulat ante fores?
Non ludor, vera eſt, oculos quae tangit imago;
Per medios rapitur Filia vincta rogos.
Innocuas, Vulcane, manus cur compede ſtringis?
Crimine quo meruit tam grave Nata jugum?
Sed ſurdum in pia vota Deum! non audior illi;
Inſuper Hippotadi ſedere junctus adeſt.
Ite igitur lacrymae, ſaevi documenta doloris,
Ite! modum planctus neſciat ulla dies.
Sed, lacrymae viles, noſtris neque fletibus aptae!
Sanguineas dolor hic fundere poſcit aquas.

Sparge comis cinerem, pullo tege corpus amictu;
Ut ſit conveniens luctibus ille color.
Haeccine, quam tanto genui vexata dolore?
Quae ſuxit tremulis ubera noſtra labris?
Haeccine ſit roſeo facies perfuſa colore?
Quam ſibi diſſimilis Nata cruenta genas!
Candida caeruleis frons reſplendebat ocelis;
Nunc jam ſanguineus lumina ſudor arat.
Ornatae auriculas pretii praeſtantis inaures,
Atque caput cidaris ſuave premebat onus.
Lactea gemmiferum diſtinxit colla monile,
Fulſerat aurato torque ſuperba manus.
Arte laborato verrebat Syrmate terram,
Pectora perſtrinxit murice tincta chlamys.
Eheu! quam ſubito (voces pudor eripit ore)
Exuitur rubea caſta Virago toga!
Divite detracta manibus, colloque catena,
Ferrea jam torques colla, manusque ligat.
Vah! male bacchantem rabiem! non ſuſtinet ultra
Impia Vulcani damna videre dolor.
Taenarias referam greſſus, mea regna, ſub umbras;
Ne cogar gemina claudere morte diem.

JOANNIS BAPT. SPENNERI RELIQUIAE ELEGIACAE.

Iusta Piis Spenneri Manibus jam in priore Collectionis parte, quam Catulliani generis Poëtae Elegiaci implebant, persolvi. Hic quasi in vitam daturus sum reducem illis, quas penes me diligentius attinebam, in lucem excitatis Reliquiis: nam & Coenam Rusticanam, *jucundum carmen amoenissima simplicitate, quod sub Ann. 1756 elucubraverat, a me descriptum cum efflagitasset, ut commodaret alteri, non recuperavit postea; neque item* ego: *& alia carmina elegiaca, annis facta posterioribus, cum mihi expeterem, impertire ad describendum non poterat, cum ipsimet eorum copia jam non esset, quorum in manus venissent per bonam gratiam, quae non reddebatur, prorsus ignaro. Sub ipsam mortem, dum quaecunque sibi reliqua fecisset, amicissimae memoriae ergo ad*

me

me transmitti curasset, alterius erant omnia generis, neque elegiacum in iis quidquam superaverat. Itaque ea tantum, quae ex Philosophico triennio illo, quo una eramus, vindicare potui, isthic impertiuntur. Ceterum eundem religioso a tirocinio etiamnum recentiorem, ab sacris itidem argumentis sui experiundi fecisse initium, nihil est mirum. Quod proin benignus Lector aequi, bonique consulet.

S.

S. FRANCISCUS BORGIAS

ISABELAE REGINAE CADAVER INSPICIT.

NIL SUB SOLE MANET.

Ingolſtadii ſub Annum. 1756.

Huc oculi, hoc aequa luſtrate indagine monſtrum:
Diſcite nunc, formae quæ ſit habenda fides.
Ergone ſic homines, mors barbara, decoquis omnes,
Nec te majeſtas ulla, decorque movet?
Prô, Iſabella ſacro nuper deſponſa Monarchae
Qualis es! Auguſtam, tene fuiſſe putem?
Illane tu, tune illa Venus, cui Regia quondam,
Quae Paris Idaliae, myſtica poma dedit?
Heu ubi frontis honos? ubi lactea colla? genarum
Flos ubi? conſenuit: nulla Iſabella ruber.
Nigricat informis dubia fuligine vultus:
Flaccida milleno tempora verme rigent.
Sciſſuris hiat alternis frons putrida, qualis
Effoetae cortex arboris eſſe ſolet.

Her-

Horrendum in tetricas ſubſidunt bina cavernas
Lumina, ceu nigra conglaciata pice.
Et ſaniem, tabumque ciens par triſte genarum
Defluit: attactu quis temerare velit?
Prominet exeſo truncatus vertice naſus,
Nutrit & impurum, neſcio quale, chaos.
Dentes livor edax, arroſaque labia cingunt,
Marcidaque in putri lingua palude natat.
Heu mihi, quis membris foetor prorumpit ab iſtis!
Quis toties Arabum crederet uncta thymo?
Scilicet haec tandem eſt in funere gratia formae,
Ut quo plus culta eſt, ſordeat inde magis.
Dicite, forma quid eſt? ſpumas imitata marinas
Deficit, & ſubito nil habet ipſa ſui.
Flos Iſabella fuit. Sed flos fuit iſte caducus.
Quiquis amas florem, crede, caducus erit.

---

* * *

Amans anima ad Puerum Jeſum in gremio Matris.

Parve, petite meis toties amplexibus, usque
Cur renuis noſtros incoluiſſe ſinus?
Lux mea, nam quantis, non te latet, ignibus urar:
Ah veni, & inviſas nectere parce moras.
Fors nimium blandae gremium liquiſſe Parentis
Haud fas eſt? veniam poſce, Maria dabit.
Fecerat hanc multis: & amans, & amantibus aequa eſt.
Hinc quoque te Koſtkae praebuit illa ſuo.
Aut mihi cur motis facilis blandiris ocellis,
Et ſimul a noſtro vis procul eſſe ſinu?
Sentio, blande puer, quis ſis: te lumina produnt,
Et mores tenere tu quoque amantis habes.
Plus ut ameris amans, pueri puer induris ora:
Nam pueri, reliquis plus quod ametur, habent.
Dum ſimilis ſimilem complectitur, omnia complens
Numen, ut adſit amans, te quoque carne tegis.
Melleus arrides: ſed, ut eſt amor aemulus, iſto
Fallere me riſu, ſic ut ameris, amas.

De-

Decipis arridens, riſu dum ſiſtis amantem,
Et ſtantis vulnus diſſimulanter alis.
Dicis: Ad amplexus, fac, pandas brachia, dumque
Pandimus, O nunquam dulce premendus ades!
Scilicet ut mos eſt in amore receptus, amantem
Quemlibet interdum ſuaviter odit amans.
Odit amans, flammamque tenet, bene conſcius, iſtos
Nutrimenta piis ignibus eſſe dolos.
Ergo & amas, flammaqne peti contendis amante?
Saevule, quid votis durus es ergo meis?
Creſcit amor, dum fallit amor. Sed fallere ceſſet:
Qui ſemper fallit, dic mihi, qualis amor?
Ergo, tenelle, veni: quid longius angis amantem?
Et gremium nobis jam calet: ecce veni!
Oſcula mille genis figam, figam oſcula fronti:
Et mea adhuc aliquid baſia mellis habent.
Ergo veni, noſtroque tuum conjunge calorem:
Solus hic in flammis, qui levet, ignis erit.
Rumpetur pectus, venae rumpentur ab aeſtu.
Sponſe petite, citus ni venias, moriar.

L A I S

* * *

Regis Aegyptiorum pellex, quod praeter ſpem in tori, thronique conſortem ab eo adſcita non fuerit, ipſo regiarum nuptiarum die in furias acta magnificentiſſimam Cairi regiam, ubi Feſta Jugalia celebrabantur, admotis ſub noctem facibus exurit ann. 1754. Ingolſtadii lucubrata ann. 1757.

Jamque ubi prima dies ſtudiis ſocialibus acta eſt,
Lunaque per tacitum coeperat ire polum:
Ponuntur menſae, poſitasque ex ordine menſas
Sumtibus immenſis inſtruit almus Hymen.
Conſedere nova cum conjuge ſponſus, & una
Sanguine regali clara corona ducum.
Fercula libantur; miſcentur pocula; ſponſos
Sollemni cyatho quisque ſalutat ovans.
Rex quoque ſinceros nuptae teſtatus amores
Opiaco ſeſe proluit ipſe mero.
Interea Lais fatali ſaucia cura
Rumpitur, & tacito livida corde gemit.
Scilicet annoſo luget fruſtrata labore,
Amiſſos alia praecipiente toros.
Luget: at immites reprimit ſibi provida, luctus,

Jucundaque animi nubila fronte tegit.
Blanditur, Domineque torum verſuta precatur ;
Mente ſimul nuptam devovet illa uovam.
Curſitat huc, illuc : regique, ſuaeque miniſtrat
Reginae: nunquam promtior illa fuit.
Jurares, procul eſſe dolos. Sed, ut hydra, furorem
Femina laeſa, & amans ponere nulla poteſt.
Aſpicis, ut Regi vultu candente renidens,
Praebeat ingenua pocla petita manu.
Aſpicis, ut tenerae (technas mirare) maritae
Temperet appoſitas obſequioſa dapes.
O mihi quam laterum male pectora nocte teguntur !
Cur oculis ad cor non penetrare datum eſt ?
Laidis infelix ſi noſſet ſenſa maritus,
Haud ea nox tanta ſtrage notata foret.
Staret adhuc domus Aeneadum, fortiſſima Troja,
Viſcera propoſiti ſi bene noſſet equi.
Laidis aſtutae pandat Deus ima, futuri
Mox oculos triſtis pungat imago mali.
Se laeſam reputat ſatis: eſt : vindicta ſequetur
Heu nimium celeri non prohibenda pede.
At ridet? furiis credas praeludere : namque
Infauſtum riſus ſaepius omen habet.

Ut, quae clara dies nimio tibi sole coruscat,
Saepe sub illimi fulmina nube tegit.
At simul effusis reboans quatit aethera nimbis,
Quosque prius fovit, nunc male perdit agros:
Sic neque blanditiis credas muliebribus unquam:
Pessima, quae visa est optima, saepe fuit.
Interea madido nox alta papavera cornu
Affundens, somni tempus adesse monet,
Ergo citi tollunt cyathos, mensasque ministri:
Compositi exspectant pignus utrumque tori.
Regia dein cubitum cum Principe Sponsa recedit:
Prono quisque genu multa precatus abit.
Lais ut alta domi regnare silentia sensit,
Cunctorumque gravi membra sopore premi.
Difficiles dudum in lacrymas jam vertere risus,
Et gemitu pressos usque levare sinus.
Mox camerata subit tacitis penetralia muris,
Claudis & obductis limina tuta seris.
Vix ter multa animo reputans emensa cubile est:
Jam tremuere sinus, jam maduere genae.
Ac tandem in medio, sparsis super uda capillis

Tempora, ftans tales infremit ore minas:
Styx male fida! truces fuperi! contraria fata!
Heu nimium votis cuncta inimica meis!
Ergo meo, illa Megaera meo nunc nupta marito eft?
Nemo eat inficias: vir meus ille fuit.
Quid? fcortum deforme, procax lupa, regia movit
Pectora, promiffam furripuitque fidem!
Et tu, perfide Rex! tune hoc, perjure, volebas,
Cum mihi pollicitus regia verba dabas?
Iftane, fare, meo merces refpondet amori?
Perfide, quid? meritis ifta fit aequa meis?
Sed quid verba diu nil proficientia perdo?
Nil ago, jamque meos occupat illa toros.
Ite per os lacrymae! largos date lumina rivos;
Ictibus alternis dextra ferito finus.
Heu me! proh miferam, quis me furor improbus urget?
Mors ades, & vitae ftamina rumpe meae.
Ergone fic dilecta prius, nunc fpreta relinquor?
Quo vertam viduas flebilis umbra manus?
Quae mihi commeritos Aegyptus habebit honores?
Quis miferae fupplex dona, precesque feret?
Prô pudor! augufta, quanta eft, ridebor ab aula,
Venturaeque jocus pofteritatis ero.
Scilicet obfcuram cogar male ducere vitam:

Nam

Nam mihi, qui vellet nubere, nullus erit.
Nullus erit, poſtquam miſeram ferus ille fefellit:
Nil niſi contemto nomine Lais ero.
Quid? num Lais ero? Nunquam Regina vocabor?
Non ego formoſa ſceptra rotabo manu?
Lais ero? ſervilis ero ſine honore puella?
Mene decora illi ſubdere colla lupae?
Illa mihi nunc jura dabit, quae ruſtica quondam,
Vixque videbatur lumine digna meo?
Ad latus haec regis, menſaeque in fronte recumbat?
Abjecto ancillae nomine fungar ego?
Huc irae, huc quidquid Phlegethonte ſub imo eſt,
Horrida femineos monſtra ſubite ſinus!
Indite conſilium Furiae: furor arma miniſtra!
Ulciſcar raptum ſpreta puella torum.
Sentiet ille, meos qui ſpreverit immemor ortus,
Quae Lais, quantum ſit quoque ſpreta potens.
Dixit, & attonitum propere ſcrutata cubile
Arripit inviſas ignea tota faces:
Succenſasque rotans, alii cum nupſerit, inquit,
(Lucinam primis ipſa vocabo toris.
Vix effata, furente ruit per inermia greſſu
Atria, quoque ferox provocat ira, volat.

Haud ſecus, ac urſa indocilis, cui forte viator
  Abſtulit ignota pignora parva manu,
Nunc dextra, laevaque furit; per ſumma, per ima,
  Nimborum veluti turbine jacta, ruit.
Quocumque indomitam petulans agit impetus, illic
  Mox ſuccenſa truci lampade ſaxa calent.
Jam poſtes, jamque illa trabes, pictasque tapetas;
  Jam rapido croceos implicat igne toros.
Non illam vigiles turmae tenuere ruentem:
  Iratae furiis vis minor omnis erat.
Nec mora: lugubribus collucet regia flammis,
  Regia nunc alia digna nitere face.
Ut monuere tubae, fit clamor, & agmine facto
  Urbs commota ſuam ferre laborat opem.
Pars undas ſimul aere cavo contorquet in ignes:
  Pars vocat, atque jubet: pars agit, atque juvat.
Quisque ſuum ſatagit flammis ante omnia Regem,
  Reginamque fero praeripuiſſe rogo.
Qua via, Magnates, ambuſtaque turba, miniſtri
  Proſiliunt: ardens hic furit, ille dolet.

Quidquid agant cives, indignans frena recuſas
Mulciber, & vires colligit inde ſuas.
Proruit e ſciſſis exundans flamma feneſtris,
Duraque lambendo marmora tentat edax.
Jam crepitans aulae faſtigia ſumma pererrat:
Saxaque mox tecto diſſiliente volant.
Undique ſcintillat trabibus domus atra peruſtis;
Inque globos nimio fumus ab igne coit.
Axis uterque rubet, funeſtaque ſulphura proflat
Aër finitimis pernicioſa locis.
Flamma ferox, unapue domus conſumta reſedit
In cineres. Tantum femina laeſa poteſt!
Heu facinus! quot opes tumulo conduntur in iſto!
Feminea tot opes perdidit ira manu.
Aſt ubi Lais? abeſt. Tenebris fontem exime, miles:
Infandi poenas criminis illa dabit.
Et dedit: ulciſci facinus Styx ipſa paravit;
Ultrices Furiae, quas ſociarat, erant.
Scilicet ut tectis diros ſubjecerat ignes,
Ut tulit incautos tigna per uſta pedes:
Undique reptilibus ſubito circumdata flammis,
Ceſſerat inſtructo debita praeda rogo.
Femina ſi flamma eſt, quae non incendia ſurgunt!
Ignibus aethereis plus calet una Venus.

AMORIS INDOLES.

Ingolſtadii 1758.

Quod dixerat olim Ovidius teſte Seneca: Facilius in amore finem impetres, quam modum, id ego olim ita moderabar, ut facilius dicerem amore prorſus abſtineri, quam in eo teneri modum: quod nunc quoque haud me piget ſenſiſſe, & ad ſcita, meo animo, pertinet nunquam ſejungenda ab ea doctrina, quae ſapiens amoris moderamen dirigat. Qua ſententia mea delectatus Amicus *illi ſe illuſtrandae coepit dare. At pridem dolui, non modo ab eadem abſolvenda, ſed etiam ab illa hac, qua inchoata eſt, ingenii felicitate longius perducenda alia eum negotia excluſiſſe.*

Eſt

* * *

Eſt aliquid, ſemper inſiſſe Cupidinis ignes ,
Et quaſi perpetuo diriguiſſe gelu.
Eſt aliquid, levibus pandiſſe lubentia taedis
Pectora, & admiſſas continuiſſe faces.
Utraque difficili res eſt molimine; fortis
Utraque: ſollicito neutra labore vacat.
Ni vero nimium mea me ſententia fallit,
Et pueri ingenium novimus, atque dolos:
Tutius arcetur penitus, quam flectitur; exlex
Nulli colla jugo ſubdere ſuevit amor.
Falleris, O, quisquis certus ſapienter amandi,
Neſcio quae fruſtra praecipis ante tibi:
Ridet amor: pleno Gnidum reſonare cachinno
Audio: ridet amor teque , tuasque minas.
Dummodo ames, ſatis eſt: tu, quae lubet indere, flammae,
Namque licet, ſollers nomina finge tuae.
Cum ſua pennato generi placet area, praedae
Jam ſibi tunc auceps omina certa capit.
Sint cautae volucres quantumlibet, impiger ille
Ex nec opinato retia plena trahet.
Captus es, O, ſi vel tantillum fidis amori,
Maximus e minimo mox tuus ignis erit.
Quique hodie imbelli lana , filoque ligari
Te credis , cras jam ferrea vincla trahes:
Ignem quis neſcit conſumere ſingula natum?
Eſt amor ignis edax: non tenet ille modum.

At tibi paret amor: tu jam ſapienter amabis:
Hac puer, hac media tu gradiere via.
Hic limes, quem nec latum ſuperabitis unguem;
Meta ibi, qua preſſa mox relegetis iter.
Quodſi forte puer te ducere nequius auſit;
Nequitiam ſcutica protinus ille luet.
Credule! quid vana te ludis imagine legum,
Quas renues? legem non tulit ullus amans.
Si neſcis, hae ſunt, mihi crede, Cupidinis artes;
Ne dubita, Leges has tibi dictat amor.
Qui cupit admitti necdum bene cognitus hoſpes,
Callidus occluſas verba dat ante fores.
Quidquid in incautas is demum cogitet aedes,
Dimidium facti, cum referantur, habet.
Omnis amor frontem titulis praecingit honeſtis,
Quosque petis, vultus induit omnis amor.
Tecum cuncta cavet; tecumque paciſcitur, imo
Tecum nequitias improbat ipſe ſuas.
Hoc ſub inacceſſas penetrat puer ordine coſtas;
Sic aperit faciles ad ſua vota ſinus.
Aſt ubi perrupit, fictae poſt otia pacis,
Induciasque breves exſerit arma ferox,
Et furit inſultans, & taedae ventilat ignes,
Seque velut capta victor in arce gerit.
Crede mihi, de te, nimium ſi fideris, actum eſt:
Contentus modico vivere neſcit amor.

Falléris, nec erit tectas advertere fraudes;
Omnia nequiculus diſſimulanter agit.
Prima luce tui ſervabit federa pacti
Moriger, & poſito ſobrius igne puer.
Et ſeu doctorum juvet impalleſcere libris,
Sternere ſeu jaculo per nemus omne feras,
Sive brevi lubeat flumen decurrere cymba:
Te ſinet, atque ſuo vix comes ibit hero.
Tuque triumphabis flammis intactus amator,
Et dices: ferme frigora pectus habent.
Frigora pectus habent hodie, ſed frigora ſenſim
Craſtina ſuccedens leniet iſta dies.
Jam puer ille tener fiet, qui veſpere primo
Serius, & ficta fronte ſeverus erat.
Cras ſimul, ac roſeis rediet lux aurea bigis,
Jam vigil ad lectum ſe tibi ſiſtet amor,
Multaque narrabit, tenuique expinget in umbra,
Quas oculis formas ſcit placuiſſe tuis.
Tum tibi ſurgenti dabit officioſus amictum,
Et tenera crines inſtruet ille manu.
Quaeque ſuis ſcite membris aptabit, & in te
Sollicita rugas arte cavebit amor.
Jam quoque de longo ſelectos ordine libros,
Quos tu, ſi lubeat, quos legat ipſe, feret.
Aut ſi fors liquido malis natitare phaſelo,
Protinus in pueri tergore remus erit.
Quin tua ſi duris venatibus otia mutes,
Praeſto erit, & collo tela vibranda geret.

Sta-

Stabit in inſidiis tecum, curretque, ruetque,
Omne pemet ſollers, excutietque nemus.
Sic tibi parvus amor primis innoxius horis
Serviet. At quanto tempore fidus erit?
Crede mihi, parvo: gratis nil fecerat unquam,
Nec ſibi deberi ſuſtinet ille diu.
Eſt ſolus ſine teſte locus, nec iniquus amori:
Eſt tempus, cura quod vacet omne ſua.
Haec catus obſervat, quin haec quoque provocat ipſe,
Addit & illecebras, quas licet, usque novas.
Tum, quae furtivos dederat ſibi Mater in uſus,
Protrahit e pharetra tela minuta puer,
Et procul, & tacite lunato callidus arcu
Evibrat, ac tenui murmure dicit: habet.
Jamque per inſuetas mollis tibi flammula venas
Serpet, & inſolitus perfluet oſſa calor.

VIRI CLARISSIMI

MICHAELIS DENIS

AUGUSTISSIMI IMPERATORIS A BIBLIOTHECA, ATQUE A CONSILIIS

DE

HODIERNIS GERMANIAE POETIS

ELEGIA

AD ILLUSTREM VIRUM

THOMAM GEBLERUM

A CAESAREIS STATUS CONSILIIS.

Jam hanc comparanti mihi editionem per sane commoda accidit Viri de re litteraria praeclarissime meriti, mihique amicissimi, Josephi de Retzer, in suum quondam Apollinem pietas: Denisianus siquidem antidhac Discipulus, cum per eam opportunitatem Celeberrimi Poëtae lautiore quadam potitus esset Elegia, committere non potuit, ineditam illam hactenus amicorum duntaxat ferri in manibus: sed hac Collectionis meae omnino utendum ratus est copia, ut artis specimen tam nobile publicitus legeretur, constaretque, quem in Teutonicis miramur, quantum Idem in Latinis quoque emineat: Mihi vero tanto minus ea refugienda fuit voluntas; quanto erat a me studiodiosius sollicitanda, nisi ultro se mihi obtulisset: etsi enim Ovidiani potissimum generis Poëtas institui isthic edere: id tamen eo valere maxime velim, ut sapor ille Romanus, quem cum Ovidius ipse, tum & ejusdem aequales Tibullus, Pedo, Propertiusque secuti sunt, ab illo Graecorum, quem belle

Ca-

Catullus affectabat, distingueretur. Itaque tametsi haec Elegia non prorsus ejus est Ovidiani coloris, qui sua se facilitate, eaque iterum singulari commendat; sed est densior potius, ac nervosior cum populari simul quadam licentia, qualis in Tibullo notatur, ascitis etiam Propertianis non raro conclusionibus pentametrorum: nihil istud tamen ab reliquae Collectionis proposito ita discrepat, ut non vel maxime Romanae Elegiae nitor, ac veluti peculiaris quaedam urbanitas isthic exsplendescat. Cum in Poëtis his, quorum indipisci manuscripta potui, ordine collocandis seriem secutus eorum sim temporum, quo quisque vixerint: Aequalis meus, Clariss. Denisius, sexennio tamen superior, uti in ceteris, ita et hic post se me relinquit: licet enim illa, quae juvenis lusi, hac, quae sequitur, elegia priora sint: satis tamen apparet, non isthanc solam fuisse ab Illo lucubratam; sed postquam in pluribus jam aliis exercitatio se agitasset. Neque tamen certum scio, quo ipso hanc anno evigilarit, nulla temporis nota carmini addita. Interim dum in elegantissima ejusdem Versione Germanica, qualem sibi Poëtarum Latinorum optimus quisque apud nos exoptaverit, hujusce Seculi inclinantis annus compareat CIↃ IↃCC

LXXVIII,

LXXVIII, aliaque etiam biennio prior exſtet: propius ab ea tempeſtate hujus elegiae natales abeſſe autumo: neque enim longiore demum intervallo Viri Aeſtumatiſſimi D. Retzeri Verſio eam videtur conſecuta, cui praeter alia tum vincto, tum ſoluto ſermone ſcripta etiam Celeb. Metaſtaſii Vitam, Poëtarumque Anglicanorum Anthologiam in acceptis ferimus. Eam qui conferre cum Latino *carmine aveat, erit illi ejusdem copia in Memoriis Litterariis primi curriculi annui, trimeſtri tertio, pag. 385 an. 1776 Formis Trattnerianis.*

* * *

Non Tamesis, non Tibris habet, non Sequana tantum
Nomina divinis inclyta carminibus;
Sunt etiam, queis se jactat Germania, Bardi,
Queis arcet summam querna corona diem.
Haec me Musa jubet tenero dilecta Tibullo
Ad populos numeris farier Ausoniis,
Dum me rura tenent autumni tempore primo,
Estque in conspectu magna Vienna meo;
Atque sacris umbris mea protegit otia quercus,
Adsultatque meis garrula lympha sonis.
Audiat haec Tamesis, Tibrisque, & Sequana nec se
Teutoniae posthac anteferant fluviis.
Tu quoque, quem Diva Caesar cum Matre sedere
In sancto Patrum consilio voluit,
Qui, simul indulgent tibi publica commoda, laetus
Fontis Apollinei nectare labra rigas,
Haec audi, Geblere! Tuis instantia discent
Auspiciis Elegi vincere fata mei.
Serius Aoniae nos respexere Puellae,
Serius! Hoc vestra dixero pace, Deae!

Nam

Nam culpam, ſiqua eſt, modo compenſaſtis abunde,
Solviſtisque moram ſenore multiplici.
En rapit exardens ſacro Klopſtokius oeſtro
Pendula plectra tuis, arx Solymaea, tholis,
Aeternaeque canit Sobolis de morte triumphum,
Qui miſeris rupit vincula terrigenis.
Olli panduntur Superum fulgentia templa:
Olli poenarum regna profunda patent.
Caeleſtes vatem in numerum plaudentibus alis
Circumdant Genii, conſociantque melos.
At genus humanum cantantibus adſtupet, & nunc
Inſolitae laxat pectora laetitiae;
Nunc horrore ſacro trepidat; nunc pallor in ore,
Nunc rubor eſt; dulces nunc properant lacrumae.
Salve, Teutonico primum decus addite Pindo!
Maeonides ſenſu, Maeonides numero!
Salve, & divinam ſic mox Meſſiada comple,
Ut tuus in ſcena nunc placet Arminius.
Haec Iſtri tibi vota facit de littore Vates,
Cui in amicitia gloria ſumma tua eſt.
Tu quoque conſimili junctus mihi federe, Gleimi,

Ultima victurum in ſecula nomen habes.
Sume tubam! Tyrtaeus eris, Spartana juventus
Quo duce Meſſenes concita fregit opes.
Sume lyram, Cytherea ſenem rediiſſe putabit,
Cui roſa, ver, & amor, vinaque carmen erant.
Muſa, Syracoſio quae coepit ludere verſu,
Et mox Auſoniis luſit arundinibus,
Helveticis Juvenem ſibi nunc delegit in umbris
Mulcentem patrias carmine Hamadryadas.
Geſſnerum montes, Geſſnerum in vallibus undae,
Per ripas ſalices, & nemus omne ſonat.
Illius & Tameſis cantus, & Sequana diſcit,
Et Popio ſocium, Segreſioque facit.
Quis vero ille, novem puerum quem ſaepe Sorores
Seduxere ſacras blandius in latebras,
Et dulci pavere favo, & ſparſere corollis,
Et molli fotum continuere ſinu,
Et dixere: Puer, votis ſuccreſcito noſtris!
Teutoniae quondam tu quoque doctor eris.
Gellertus votis ſuccrevit, Numina, veſtris.
Ecce, docet totam fabula Teutoniam,

Ae-

Aequans ſimplicitate Phrygem, Phaedrumque nitore,
Fontano ſalibus par, ſatyraque prior.
Ramlerum cum Rege ſuo pernicibus alis
Fama mori prohibens ſidera ad alta vehit.
Rex agit. Hic Latiae felix teſtudinis haeres
Fortiter acta manu fortiter ore ſonat.
Hunc terite, O pueri! nam quantum carmine Flacci,
Tantum virginei fronte Maronis habet.
Nunc inter violas tua ludit, amabilis Uzi!
Melpomene umbroſi fontis ad illecebras.
Nunc ſe tollit humo vitae divina magiſtra,
Nunc avium regem poſt ſua terga videt.
Ah citharam ne pone, precor, Cariſſime Vatum!
Teutoniae ſiquid fama, precesque movent.
Poſt ſitulam raptam, ſubſectum fraude capillum,
Et ſacri belli materiem, pluteum,
Neſcio, quid Phaëthon majus tibi, Patria, donat,
Et Catus ante diem traditus Elyſio,
Et quod praeterea per Brunsvicenſia rura
Ridiculo terram ſyrmate verrit Epos.
Quid memorem Helveticas celebrantem verſibus Alpeis,
Quem ſuper has Alpeis maſcula Muſa tulit? a)

a) *Haller.*

Quid cantata tibi prima, Wielande, juventa
Carmina virtuti sacra, & amicitiae?
Quid patriam Sappho 2), quid te, cultissime Weisse!
Quique suis Scaldos e tumulis revocat: 3)
Denique te, Langi, Venusinis ignibus actum;
Quemque suo retinet Gleimius in gremio: 4)
Et te, qua celebri tua prole Vienna superbit,
Care mihi longa Mastaliere fide!
Vatibus his fruimur vivis. Sed avara duobus
Esse negaverunt fata superstitibus.
Ad patrium liquit tristeis Hagedornius Albim
Relliquias. Musae spargite humum foliis,
Et querulo cantu Maneis ad busta vocate:
Hic vestrum inter nos protulit imperium.
Hunc patrem dixit vatum omnis turba, tulitque
Hoc duce festinos ad juga vestra pedes.
Alter Brennorum fortissima signa secutus
Fila lyrae movit, qua tulit arma, manu.
Nunc jacet immitis sub tempestate Gradivi
Perditus ad ripas, moeste Viadre, tuas.

Di-

2) *Karschin.*
3) *Gerstenberg.*
4) *Jakobi.*

Dicite, Pierides! Quae vos tenuere vireta,
Vulnere dum ſaevo Kleiſtius occubuit?
At ſaltem redeunt dum tempora verna, quot annis
Cantori veris munera verna date!
Hi Patriae decora alta meae. Sed parcite, Muſae,
Unum ſi Patriae conquerar ore meae.
Cur minus in ſoccum faciles, minus inque cothurnum?
Propitio quid adhuc numine ſcena caret?
Eſt, Leſſinge, tibi; tibi, Weiſſi, fama, fatemur:
Eſt ſua Gellerto, Schlegelioque ſimul.
Quin etiam patriis auguſta Vienna theatris
Mittere non unum nobile coepit opus.
Si tamen Auſonios, & Gallos, atque Britannos
Reſpicimus: certe non leve reſtat iter.
Spes brevis una pias Cronegkius ivit ad umbras:
Altera ſorte pari Bravius interiit.
E juvenum tumulis exſurgat dramatis auſpex,
Qui reliquis moveat gentibus invidiam.
Hoc date, ſi vobis, Muſae, mea carmina cordi:
Teutoniae ſerto haec unica gemma deeſt.

At vos, o patrii, genus immortale, Poetae!
Pergite, majorum quo via trita vocat.
Non pede ſervili externos inſiſtite calleis:
Qua lubet, incedant Gallus, & Auſonius.
Vos Regum comiteis, belli, pacisque miniſtros
Patria vult Bardos, nomina ſacra, loqui.
Fatidica hi quondam redimiti tempora quercu
Carmine virtuti praemia digna dabant.
Horum erat egregia pro libertate ruenteis
Cantibus in pugnas exſtimulare ſuis,
Et forteis celebrare animas, belloque peremtos,
Diſceret ut patrum grandia facta nepos.
Non molles illis moduli, ſed Martia metra.
Ut populi ingenium, ſic quoque cantus erat.
Hos ſit cura ſequi! Sic quantum vincimus armis,
Vincemus cunctos carminibus populos.

CARMEN

AMPLISSIMIS HONORIBUS
EXCELLENTISSIMI DOMINI,
DOMINI
FRANCISCI DE PAULA
E COMITIBUS
BALASSA,
DE
BALASSA GYARMATH,
CUM
PRO REGE REGNORUM
CROATIAE, DALMATIAE, et SCLAVONIAE
DECERNERETUR,

A
STEPHANO AGYICH C. E. QUINQE-ECCL.
CANONICO
EIDEM OBLATUM

Anno M. DCC. LXXXV. Pridie Kalend. Septemb.

ZAGRABIÆ.

In ea Collectione, in quam pro varia aliud, atque aliud adamantium voluntate, ac indole omnis generis recipi specimina oportuit, multo minime desiderari Hungarica convenit; quae gens et ante alias Stili Ovidiani felicitate enitere coeperat; uti testimonio sunt Jani Pannonii *Carmina, sub annum M CCCC XC in Hungaria denati; et hodieque eadem florere laude non desiit, ut nuperrimis paradigmatis commonstravit Vir Clariss.* Zerdahelyus *in* Silva Parnassi Pannonii, *proxime ante hunc annum edita: qui et Catulliani se generis minime expertem esse locupletissime docuit. Quantum vero et intermedio elaboratum sit tempore, ex eo facile aestimaris, quod Ovidianus Sapor adhuc paene solus ibi locum sit nactus, uti ex Clariss. Viri,* Adami Barichevichi, *in Gymnasio Zagrabiensi Professoris, humanissimis, elegantissimisque litteris, anno M*

DCC

*DCCLXXXV , VII. idus Decemb. ad me datis liquere poteſt: ex quibus non nulla tanto hic libentius impertio , ut et aliis , quos ille memorat , Viris Egregiis ſuus honor conſtet , et notitiea proferatur. Sic autem pars habet ejusdem epiſtolae: „ Simul ac redii Zagrabiam , curavi ſe„ dulo , num quid Catulliani , ut pollicitus ſum , „ ad te mittere poſſem , cui in tertia tuae Colle„ ctionis parte locum dares. Duas nactus ſum „ Elegias , quae Catullum ſapiant: quas H ***, „ Viro Humano , commiſi ad te perferendas. „ Alteram ſcripſit* Martinus Szabolovich , *Vir „ graece , et latine doctus , pluribus jam ſcriptis „ editis de Patria hac bene meritus; alteram „ Eruditiſſimus* Franciſcus Verneda , *Rhetor , „ et meus in Gymnaſio Zagrabienſi Collega. „ Non deerant nobis cum ſuperiori , tum noſtra „ hac aetate Poëtica laude praeſtantes Viri ; de„ erant Catulli imitatores: cum enim in ſcholis „ fere unus regnaret Ovidius , et in deliciis ha„ beretur ; Catullus vero paucorum verſaretur in „ manibus , ac propemodum jaceret: quid mirum , „ ſi plerique omnes ad ejus ſe imitationem con„ tulerint pro more ſeculi , ut ne inhonori rece„ derent. Hi duo primi , quod ego noverim ,*

ex-

„ *exſtiterunt e noſtris, qui ad Veronenſem ſe
„ adjungerent Poëtam, remoto Naſone, ducem
„ ſecuti Cunichium, Popularem paene noſtrum,
„ et Parentem hoc tempore Catulliani leporis,
„ atque elegantiae. Dabis hanc mihi profecto
„ veniam, Vir Praeſtantiſſime, ut hos tibi dili-
„ gentius commendem aliquanto; etenim praevi-
„ deo, ſi ceteris conſociati in excellenti opere tuo
„ fuerint, te illorum famae, et nomini adeo
„ Croatico praeclare conſulturum.* „ Haec Ille: quae, mihi non eſt committendum, ut prorſus vana fuerit opinio. Atque Idem Ipſe, cum ex itinere Viennae ageret, hac me Elegia, quae ſequitur, coram impertiit, nihilo ſecius alterius ſtudioſus nomini, ac ſi ſuusmet eſſet fetus. Quantas Litteraturae Hungaricae ſuppetias Vir Humaniſſimus erat ad Ovidianas lucubrationes collaturus, ſi reſpondere inter nos litterae ſaepius potuiſſent! Sed cum is, qui ſe traditas Catulliani generis Elegias accurate conſignaturum receperat, nihil omnino quidquam reddidiſſet, longa exſpectatio vertit in oblivionem, ac jam aliquanto poſt aliis me negotiis diſtinentibus litterariam conſuetudinem demum prorſus intercepit. Nunc ſerum erat per epiſtolas agere; cum prelum opinione

fe-

feſtinantius urgeret. Interim vel unicum, quod hic praeſto eſt, ſpecimen multorum eſſe vicem poteſt; quando ſatis, vel me tacente, animadverſurus eſt Lector, quam ſalebroſa ſint iſtiusmodi argumenta, in quibus etſi abundet ab Heroë materies, attamen res ipſae parum ſint locupletes imaginum poëticarum ubertate, neque veterum ſatis trita fuerit veſtigiis orbita. Quanto magis Auctori Clariſſimo gratulandum, qui ſibi ita ipſi paradigmati fuerit, ut neque nervos uſquam deſponderet, neque non ſatis ubique affiueret.

Creverat immenſum Francisci pulchra Balassae
Gloria, mortali vix adeunda pede.
Nota fuit Pelago, vaſtis notiſſima terris:
Illam terra rotis vexit, et unda rate.
Haec ſonat in ſilvis, ſonat atque in montibus altis;
Et, quacunque poteſt fama venire, venit.
Ad Superos, et magna poli convexa, repente
Suſtulit hanc virtus adproperante gradu.
Namque Balasseo conſtat dum cura labore,
Utilitas Superos, et ſua lucra manent.

Et

Et mulcere (*a*) rudes animos, et vulgus in unum
Cogere, prae multis promtior unus erat.
Per (*b*) mare, per terras, per mille pericula currens,
Subsidio reliquis, praesidioque fuit.
Instruxitque penum (*c*) toties pro millibus, olim
Horrida dum Divis Tartara bella movent.
Quod grave, quod multo plenum discrimine, totum
Ipse suis humeris sustulit alter Atlas.
Et quod praesenti nequiit superasse labore,
Conficit id cura (*d*) consilioque gravi.
Quid (*e*) Ceras memorem; rutilantia Nomina Caelo,
Et, quibus effulget, fortia facta Patrum?
Cura remordebat Superos, quibus ardua virtus

Pen-

(*a*) Potissimum ad componenda negotia Provinciarum, et Civitatum inter initia missus.

(*b*) Ppst multas alias res sibi commissas, eam, quae ad partes maritimas non ita pridem pertinebat, utiliter gessit.

(*c*) Rigentibus identidem bellis annonam pro toto universim exercitu curavit.

(*d*) Inde a prima juventute semper a consiliis Regis fuit; Imperatoris subinde pro parte sui Imperii fuit a Secretioribus Consiliis.

(*e*) Vetustissima est Familiae *Balassianae* sicut gloria, ita et virtus.

Penſari poſſet, promeritumque Viri.
Dignus erat Caelo: ſed adhuc longiſſima vitae
Plena torquebat ſtamina Parca colo.
Utilior terris pariter reputatus avitis:
Quo mage mortali ſorte tenendus erat.
Nempe cui Divi terrena negotia poſſent
Abſque ſuis curis credere, cretus erat.
Poſt multos titulos, poſt plurima munera Divum,
Abſtulerat pleno quae prius ipſe ſinu,
Theſauri nuper, tum pignora ſacra (*f*) Coronae
Ceſſerunt fida pervigilanda ſera.
Tanta licet tulerit: tamen haec ſunt viſa Tonanti
Multo promeritis inferiora ſuis.
His meliora parat, jamque eſt conferre voluntas
Praemia, queis pretium gloria ſumma ferat.
Attamen ipſe prius partes ſpeculatur in omnes,
Hungarico melius ſiquid in orbe foret.
Illyris interea, quam Savus, et alluit Iſter,
Romanis olim clarior hoſpitibus;
Ipſa quidem tantae quondam primordia famae

At-

(*f*) Theſaurarius Regius, Camerae Praeſes, uti et Sacrae Coronae Cuſtos eodem tempore factus.

Atque gravis meriti ſemina (*g*) prima dedit,
Quod fieret Caelis (ſomni, Geniique monebant)
Conſcia Conſilii, judiciique Patrum,
Sollicite volvit ſortis dum fata futurae,
Evigilat multo, nocte, dieque, metu.
Utque ſuo voveat ſubſellia ſumma Balassae:
Ne tamen hoc pariter deſtituatur, avet.
Subſidioque petit reliquas cognata (*h*) Sorores,
Jungant ut votis congrua vota ſuis.
Sique minus reputent ſolam junxiſſe minorem,
Tanto, ſi placeat, tres (*i*) ſocientur Hero.
Dumque nequit celeri Caelos conſcendere curſu,
Effundit tacitas anxia Dia preces.
Vox ſonat una: Dii! Veſtrum celebrate (*k*) Nepotem,
Deſtituat noſtras ne tamen ille plagas!

Ille

(*g*) In Syrmienſi Regni Sclavoniae Provincia anno 1762. Supremus Moderator factus, plurima ibi memoria digna geſſit.

(*h*) Croatiam nempe, et Dalmatiam ſicuti originis, ita idiomatis ferme ejusdem.

(*i*) Croatia videlicet, Dalmatia, et Sclavonia.

(*k*) *Balaſſii* Regibus quoque per ſexum femineum inveniuntur nexi.

Ille pios animos, vitam dedit ille beatam:
En viget in noſtro paxque, quiesque Lare.
Cetera, quae ſuperant, ſecreto pectore verſat,
Auditas nequis turbet aduſque preces.
Hungaris at contra, dum vota recentia captat,
Spondetur tantus queis Tibi (*l*), Paule, favor:
Praedicat inſignis meritumque, decusque BALASSAE;
Vult tamen in propria perſtet ut ille domo;
Extremique timet miſeranda pericula fati,
Hungaricis abeat ſi Pater iſte plagis.
Hunc ſibi cumprimis deberi jure Deorum;
Quippe Viri Nutrix, quae Genitrixque foret.
Officiis hujus Regnumque, hominesque teneri:
Verteret abſceſſu cuncta ſecunda ſuo.
Quid reliquis fieret, ſi, qui meruere beari,
Hos proprio excutiat Mater amata ſinu?
Si Superis dignus meliori ſorte BALASSA eſt:
Amplior Hungaricis non fluit Iſter aquis?

Sic

(*l*) Comes quippe *Franciſci a Paula* nomine inſignitus.

Sic Heros quando eſt partes in utrasque petitus;
Staret ut ambiguo cauſa procata foro:
Siſtitur arbitrio Divum Sapientia Pallas,
Quae merito cauſam conveniente probet,
Sique modus ſupereſt, ut ſit concordia voti,
Illyridem pariter, Pannonidemque juvet.
Scit Dea quid praeſtet; quondam nam mente ſupremi
Numinis orta, videt, quidquid in orbe latet.
Et neque ſecludi, temere niſi, Palladis almae
Calculus hac in re, conſiliumque poteſt.
Quid, quod et hujus item ſtudio fervente BALASSA
Temporibus primis magnus (*m*) alumnus erat?
Diva igitur penſans meritum, geniumque juventae,
Conſciaque, officiis queis ea digna forent;
Conſtitit Alma loco, circumſpexitque coronam
Caelicolum, et placida talia voce refert:
Non mihi difficilis, Superi, via promere verum,
Ut faciam veſtris mentibus una ſatis.

(*m*) Summus Palladis alumnus, qui adhuc juvenis edidit opus de Corona, et Pallio Sancti Stephani Regis.

Gyarmathidem vobis placet exaltare BALASSAM,
Implet qui fama solis utramque domum.
Illyrici hunc, Divi, pro Rege edicite: fructus
Innumeros vigili munera jussa ferent.
Perpetuo bene multus ibi stat (*n*) miles in armis:
Providus hic toties quem Pater ipsus alit.
Illyrico portat congestas Adria (*o*) merces,
Non est, qui melius calleat istud opus.
His (notum) Regnis quam barbarus incubet hostis:
Hostes Consilio proterit iste suo.
Quod regimen tenuere (*p*) Patres de gente BALASSAE,
Hoc teneat natus: semita trita patet.
Jungatur munus, quod mox obitura parantur
Hungaria tota Corpora lecta (*q*) Patrum.
Id satis interea; pauco post tempore namque
Promtior his titulis qui moderetur, erit.

Pu-

(*n*) Quippe ubi stativa habeat militia totius Nationis per Regna Croatiae, Dalmatiae, et Sclavoniae.
(o) Notus est Fluminensis, et Buccarensis portus.
(*p*) Duo Balassii, et ipsi Francisci nomine leguntur *Bani* fuisse.
(*q*) Decemviri recens per Provincias Hungariae instituti.

Publica ſunt illi plus quam ſua commoda curae:
Quam cupit inſomnis vivere, vita labor.
Vix Dea finierat, certo probat omnia nutu
Jupiter, et pleno pectore laetus ovat:
Utque fuit fulvo chlamydem praecinctus ab auro,
Injicit hanc humeris, Magne **Balassa**, tuis.
Illyriumque jubet pro Rege capeſſere Sceptrum,
Quas populique tenent, ut tuearis opes.
Extulit et magni (*r*) Signum praeluſtre triumphi,
Quod mira inſtruxit Palladis arte manus.
Prodiit hic ingens praegrandi pondere (*s*) ſceptrum,
Quo ruere icta cito tartara nigra putes.
Sic ubi jura trium tradit conjuncta Sororum,
Inſuper alloquio more precantis agit:
Ecce Tabella (*t*) tibi quadra teſſellata, quadramque

(*r*) Vexilum nempe, quo porrecto *Bani* Croatiae inaugurari ſolent.
(*s*) Dicitur antiquiſſimum, et ſolidiſſimum eſſe opus.
(*t*) Tabella luſoriae formae, Inſigne Regni Croatiae.

Alea jacta ſuper cuncta ſecunda ferat!
Suſcipe lora (*u*) canum, lanient qui rictibus hoſtes,
Ne circum veſtris inſidientur agris!
Hicque (*v*) caput triplex, terna cingente corona,
Sic caput et repetat laurea multa tuum.
Addo Saladinae (*x*) pinguiſſima jugera terrae,
Abſentem ne te Pannonis ora putet.
Id tibi ſit ſpecimen, quod ſis rediturus ad illam,
Major et Illyrium, Pannoniamque reges.
Dixit: et aethereum nutu concuſſit Olympum:
Deciderunt ſudo fulgura terna polo.
Intonuit longum reboanti murmur ab axe:
Feſta fuit Superis omnibus iſta dies.
Jupiter (*y*) ipſe ſua, ſolium juncturus in uno,
Illyridem duxit, Pannonidemque manu.

Dum-

(*u*) Tres in patenti campo vertagi, Inſigne Regni Sclavoniae.
(*v*) Tria humana coronata Capita, Inſigne Regni Dalmatiae.
(*x*) Ferunt Saladienſem Provinciam alias etiam ad Regnum Croatiae pertinuiſſe.
(*y*) Hungariae, et Croatiae Regna in uno Rege jam olim juncta.

Dumque dehinc cratera levat, Saturnia dixit:
Secula Tu nostri vive, BALASSA, Patris!
Vivit: et usque memor non desinit esse Poetae,
Qui (z) certo toties omine vota facit.

(z) Honores, qui accesserunt, progressu temporis ab eodem Vate Comiti alias praedicti.

FRAGMENTA
GÖTZENBERGERIANA
RECONCINNATA.

Poësin Halensi in Gymnasio professus erat Götzenbergerus sub annum circiter MDCC XXXVII, Magister ibidem Publicus, fama etiam posteriore apud Tirolenses clarus: unde ex ejusdem carminibus, a Praenobili D. Krippio *commodatis, quae mihi puero magis arridebant, complusculà descripsi, etiam maturioribus in annis peraeque probata. Sed jacturam feci omnium, posteaquam cum pluribus ea communicaram. Quae cum recuperare nullo jam pacto, nullaque diligentia possem: incidi forte in lucubrationum fascem, mihi dudum antea ab Amico Populari legatum, sed illectum adhuc temporis; quia Auctoris peradolescentis nomine inscribebatur. Percurrenti aliquando per otium argumenta, quae metri exercendi causa tironi illi praefixa, aut ab eodem arrepta fuerant, occurrit in-*

inter cetera deſcriptio quatuor diei temporum, non retentis, ut erat mihi optabile, Gützenbergeri verſibus, ſed ut eosdem tiro, qui Phoebum noſſe necdum potuit, ſuo Marte conſtruxerat; reſiduis interim non nullis, quibus memoria mea non obſcure admonebatur, primi Auctoris reliquiis. Itaque argumentum quidem recuperaveram; non item Poëtam: ſed utinam vel iſtud etiam de ceteris, quae deperdidi! Interim cum adoleſcentuli Muſam adoptare non poſſem: utique multo recentiore manu expolienda erant pleraque. Atque ita Carmen a triplici repetendum origine, cum id et ab Auctore primo, qui ſub annum circiter M D CC LIV Orator Auguſtae Vindelicorum Cathedralis obiit, et ab alterius exercitatione, qui argumentum, ſibi forte in ſchola ſuppeditatum, fecerat ſuum; ac demum ab opera ultimae manus, quae olim deſcriptorum dudum immemori mihi addenda fuit, aliud, atque aliud ſibi jus temporis vindicet, non injuria ad poſtremam, qua ſic reconcinnatum prodit, aetatis ſeriem retruſi. Interim eram ita amoenitate Gützenbergeriani occupatus ingenii, ut, etſi totum reſtituere jam potis non eſſem, tamen et totum oblivione hauriri pati non poſſem; eo etiam in

 pri-

primis, quod materies in tanto ejus poëſeos ſplendore plurimum tamen etiam adoleſcentum, ac puerorum adeo captui videbatur accommodata: ut proin, quod et tironibus ad ſua prodeſſe initia, et ſimul item exercitatos delectare poſſet, abeſſe ab hac Collectione non ſane debuerit.

Quatuor diei tempora.

Nox.

Stelliferos nox picta ſinus ſubit, undique terras
  Circumplexa nigro, ſole cadente, peplo.
Aurea ſcintillant trepidanti ſidera luce,
  Perque volant ſuperas irrequieta plagas.
Cornigeris invecta micat Latonia bigis,
  Spargit et argento allida tecta ſuo.
Invitant placidos tenebroſa ſilentia ſomnos,
  Corporaque in thalamis compoſuiſſe juvat.
Undique pigritiae circumfert ſemina Morpheus,
  Flore papavereo tempora cincta gerens.
Jamque reclinatum medico lenimine corpus
  Intima permulcet lapſus in oſſa ſopor.

Tunc nemus omne ſilet; tunc Thetyos ira quieſcit;
Tunc reſident volucres; tunc tacet omnis ager.
Interea mediam attingit nox humida metam:
Vox hominum reſonat nulla, nec ulla canum.
Cynthia ubi totum ferme luſtraverit axem,
Jamjam Fratre ſuis approperante rotis;
Ac ſenſim lentos admorit ad aequora currus:
Diſcedunt tenebrae, noctis et umbra fugit.

* * *

Mane.

Tum vero, expulſo Phoebus feliciter hoſte,
Promicat Eois vertice victor aquis.
Montibus alta ſuum Thaumantias allinit aurum,
Et pleno rutilas fundit ab ore roſas.
Raraque jam vacuo palantur ſidera caelo,
Defectisque jubar Cynthia condit equis.
Jam ſummum cogit ſtellarum Lucifer agmen,
Quaeque ſepulta fuit, lux rediviva nitet.
Depluus altrici ros irrigat arva madore,
Et tacito Cereris ſublevat imbre ſitim.

Jam canit orta iterum volucris praenuncia luce,
Et monet e pigris membra levare toris.
Mille iterum dulces variat Philomela querelas,
Et queritur caesum Daulias ales Itym.
Jam sonipes claras implet hinnitibus auras,
Dum videt auricomos currere solis equos.
Jam capreae, et volucres liquere cubilia damae,
Et latrat ante suos fida Lycisca Lares.
Jam matutinis resonant incudibus ictus,
Flammaque per furnos concita folle crepat.
Surgit ad assuetas agri gens rustica curas,
Dextraque jucundum gnava retentat opus.
Demetit hic promta flaventes falce maniplos:
Hic mox occando semina credit agro:
Exacuunt alii longas in cote secures:
Hi curvo sulcant vomere pingue solum.
Feniseco jungunt pars functi munere plaustris
Nomina jam suetos sub juga panda boves.
Parte alia Phoebes viridantia regna petuntur.
Sternitur hic crebra caedua silva manu.
Tendit ibi hic volucri pedicas; hic retia cervis,
Atque nova astutos occulit arte dolos.

Rursum alius praedam fluviali in littore captat;
Squammosum insidiis dum petit ille genus.
Personat hic rauco venator Maenala cornu,
Hortatus celeres per juga summa canes.
Hic placido credit mercator vela sereno,
Et findit spumans concita prora salum.

* * *

Meridies.

Interea medio Titan supereminet axe,
Atque pari spatio vesper, et ortus abest.
Jamque cadunt minimae summis de montibus umbrae,
Vallis et admisso sole cremata calet.
Antra ferae repetunt, hominesque umbracula quaerunt,
Et gelidas madida fronte viator aquas.
Languidus a radiis stivam dimittit arator,
Subducuntque jugo colla perusta boves.

Flacceſcunt herbae: pecori jam gratior umbra eſt:
Hic gravis arentes aeſtus hiulcat agros.
Artificum clauſae frigentque, ſilentque tabernae:
Mercator nullus, nullus et emtor adeſt.
Jamque alius ſtruit Attalico convivia luxu:
Fert alii tenues ſobria menſa dapes.

* * *

Veſper.

Denique dux noctis de ſero Veſper Olympo,
Ad mare jam Phoebo deſpiciente, ſubit.
Jam ſaturas pecudes, paſtosque in montibus agnos
Ad tutos revocat nox ruitura Lares.
In medio Corydon notis concentibus agmen
Cogit agens, clauſae dum ſtabulentur oves.
Villarum videas jam ſpargi e culmine fumos,
Major ut a celſis montibus umbra cadit.
Hic dubia rutilant jam laſſa crepuſcula luce:
Illic jam caelum prima tenebra tenet.

Tunc

Tum redit e rigidis praeda venator onuſtus
Montibus, et paean occinit ore ſuum.
Jam demum ignitos demergit in aequora currus
Sol, inclinatam praecipitatque diem.
Tunc moderata homines procurant corpora coena,
Commendantque brevi ſemiſopita toris.



Emendanda

Pag.	lin.		Lege.
I -	3	cum commentatio	commentatio cum
VI -	18	reduntantia	redundantia
XVIII -	2	in vetete	in veterem
6 -	5 et 6	ſurum	ſuorum
28 -	11	flebibe	flebile
41 -	14	undipue	undique
43 -	20	ipſi	ipſe
53 -	12	fleute	flente
64 -	6	ſit	fit
65 -	16	ſiet	fiet
74 -	7	*Chrino*	*Chriſtano*
77 -	23	ſive	ſeu
84 -	14	nefando	nefanda
107 -	11	quaeror	queror
118 -	15	intervallam	intervallum
126 -	6	Oeniponte	Is Oeniponte
128 -	3	canta	tanta
148 -	5	totum diſtichon hic omittendum.	
157 -	6	ſequor ad	ſequor at
159 -	4	riſi mea	timui mea
-	10	belia	bella
160 -	3	Calyp-	Calypſus
164 -	18	ſacta	facta
180 -	1	Nymphae	Nymphe
182 -	5	princepis	princeps
190 -	11	delatus	delatas
194 -	5	ſcrinnis	ſcriniis
196 -	5	volamina	volumina
199 -	1	conſecrato	conſecrabo
210 -	9	domineque	dominaeque
211 -	18	claudis	claudit
-	21	medior	medio
213 -	12	Huc irae	Huc, furor, huc irae
220 -	2	pemet	premet
239 -	16	Ppſt	Poſt
250 -	14	allida	pallida
-	19	lemimine	lenimine